8.55.9.9/1

Labyrinthus Creticohunnianus,
Hoc eſt,

DISPVTATIO DE HVNNIO PRÆDICANTE VVITEBERGENSI, GENIOQVE LVTHERANO, SEMETIPSVM CONtradictionibus, fraudibus, mendaciis & criminationibus implicante, confundente & iugulante

In Articulis

Ex Legato Ill.mi Coccini

De { SCRIPTVRA SACRA. / PERSONA CHRISTI. / OFFICIO CHRITI. / IVSTIFICATIONE. / FIDE ET OPERIBVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AVCTORE
JACOBO GRETSERO SOCIEtatis IESV *Theologo.*

M. DCII.

BIBL. SOC. IESV. COLL. ROM.

Cum gratia & Priuilegio Cæſ. Maieſt.
INGOLSTADII
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA EDEriana, apud Andream Angermarium.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO FERDINANDO GONZAGÆ, PRIORI BARVLI, SERENISſimi Principis ac Domini, Domini Vincentij Mantuæ & Montisferrati Ducis filio IACOBVS GRETSERVS, Societatis IESV, Gratiam & felicitatem à Deo precatur.

CVm Deus ore Ezechielis Propheta, Illuſtriſſime Princeps Ferdinande, ciuitati Hieroſolymitanæ metaphoricis quidem, ſed grauiſſimis verbis cõmiſſa ſcelera & flagitia exprobraret, Ecce, *aiebat,* omnis qui dicit vulgò prouerbium, in te aſſumet illud, dicens; ſicut mater, ita & filia eius. *Hoc adagio non iniuria nobis quoq; vti licet in Hæreſin Lutheranam: verè enim* ſicut mater, ita & filia eius. Filia matris tuæ es tu, & ſoror ſororum tuarum es tu. *Sed quæ iſta mater? Reſpondet Deus:* mater veſtra Cethæa, & pater veſter Amorrhæus, ſoror maior, Samaria & filiæ eius: Soror minor, Sodoma, & filiæ eius. Ezech. 16.

S.Hier. in cap. 16. Ezech. iuſ. *Mater* Cethæa appellatur, *inquit S. Hieronymus*, interpretaturq́ʒ inſaniens, ſiue in amentiam vertens. *Amorrhæus latinè aut* amarus *eſt, aut* rebellis, *aut* loquax. Porrò ſecundum tropologiam Samaria & Sodama ſunt Hæretici & Ethnici; altera gentilem vitam luxuriamq́ʒ ſignificat; altera Hæreticorum decipulas: Quod autem Samaria intelligatur in Hæreſibus, & in Oſee Propheta, & in multis aliis locis, præcipueque illo teſtimonio comprobatur: Amos 6. Væ qui deſpiciunt Sion, & qui confidunt in monte Samariæ, vindemiauerunt principia gentium: Omnes n. hæretici deſpiciunt Sion, quæ interpretatur ſpecula, & refertur ad Eccleſiam, & confidunt ſibi in monte Samariæ, in ſuperbia videlicet dogmatum peruerſorum, quæ putant eſſe ſublimia, Et per has prædicationes fraudulentas vindemiant.

Hanc Lutheranæ Hæreſeos genealogiam & cognationem, ſi pertexere, & fuſius in traduces & ſtirpes diducere & deducere, omniumq́ʒ rationem reddere vellem, rem nimis lõgam, & à breuis epiſtolij legib. alienã facerẽ. Omiſſo igitur Lutheranæ perfidiæ genitore, amaro, rebelli & garrulo *Amorrhæo, omiſſis ſororibus* luxuria, *& tota illa Hæreſewn turba, quæ ante-*

actis ſæculis, vſq; ad hanc noſtram ætatem, ex eodem vtero exſtitit; dicam tantùm de genitrice Cethæa, de inſania, inquam, & amentia, quæ Lutheranam Hæreſin concepit, peperit, in ſinu fouit, educauit, & adhuc fouet, & educat pulchrum fœtum pulchra mater. Omnino qualis mater, talis filia, qualis hera, talis pediſſequa. Vara vibiã ſequitur, & Perca ſepiã; Amens mater, amens filia; Inſana mater, inſana filia, rationis expers mater, rationis expers filia. Domina hæreſis Lutherana, quæ Præcones & famulos ſuos, quos occupat, ſibi ſimiles è veſtigio efficit, Cethæos nimirum, hoc eſt inſanos & amentes; cuius manifeſtum indicium, quod tanquam helleboroſi & cerriti pro ſano nihil loqui, nihil ſani capere, nihil intelligere, nil ſanorum inſtar colligere, & ratiocinando cõcludere valent: aut ſi quid in hoc genere conantur, id ita faciunt, vt nec pes nec caput vni reddatur formæ. Nihil veteres illi hæretici, ſeu Alogi, ſeu Alogicni, ad iſtos noſtros cum ſua alogia. Nihil incredibilis Donatiſtarum ſtupor, quem toties exagitat S. Auguſtinus in Creſconio, Petiliano, & aliis, ad iſtorum vecordiam,

Digitized by Google

tarditatemque pluſquam plumbeã. Statuunt Philoſophi tres operatiões humani intellectus. Vtinam his vel vna eſſet: nam ſi quid aut cogitatione apprehendunt, id non niſi vt filij Cethææ faciunt; concipiunt cum cæco illo arbores loco hominũ, lapides vice panum; anguem pro piſce, ſcorpionem pro ouo, & maleſani Aiacis more, pecora pro Vlyſſe & ſociis. Si quid componere & coagmentare ſtudent, confeſtim videas ſerpentes auibus geminari, tigribus agnos. *Cum ratiocinandum, aliudque ex alio deducẽdum eſt, nihilo plus rationis, non paulo plus ſtultitiæ & amentiæ apparet.*

Inter hos familiam ducit Hunnius prædicans, quo vt arrogantior & faſtuoſior, ita in his, quæ rationis & ratiocinationis ſunt, nullus eſt ineptior & dementior; genuina inſanæ matris inſana ſoboles. Teſtẽ do, vt alias eiuſdem chartas ſilentio præteream, Labyrinthum, quem deſtruendum funditusque euertendum ſuſcepimus, in quo tanta argumentationum vanitas, fatuitas & inſipientia, vt non niſi vanos, fatuos & inſipientes eſſe oporteat, qui tantam huius prædicantis vanitatẽ,

fatuita-

fatuitatem & inſipientiam oculis non intuentur, manibuſque non contingunt. At nunquam non loquitur Hunnius, nunquam obmuteſcit. Quid tum? An ideo ſapit, quia multum garrit: diues verborum, inops rerum? Imò plerumque fit, vt quo quisq; eſt ſtultior, eò ſit verboſior, & clamoſior, & quo quisque ſapientior, eò taciturnior ſermoniſque parcior. Vox certè inſanis & amentibus non deeſt, ſed ratio; Non ergo attendendum, quantum ſpermologus iſte dicat, ſed quantum ſapiat; exque eo ſtatuendum, an ad aruſpicem expiandi cauſa ducendus ſit. Nec abnuet ducēdum, qui vel obiter aliquot argumentationes omnis mentis expertes huic Creticohunniano & fanatico Labyrintho inſperſas perpenderit; quibus nihil inſcitius, inſulſius, & vecordius fingi poteſt; Et tamē Hunnius haberi vult maximus argumētator, & pœnè Chryſippeus; vnico ſyllogiſmo totū Papatum *proſternere doctus; quē cū ſimilē feram, niſi inepto illi diſputatori vrbico, contra quem de ieiunio ſabbathi diſſerit S. Auguſtinus.* S. August. Epiſt. 86. *Etenim vt iſte probaret contra morē plurimarū Eccleſiarum, etiā die ſabbathi ne-*

ceſſa-

ceſſariò ieiuniis operam eſſe dandam, teſtimonia quædam ex ſcriptura planè Hunniano ritu & genio adducebat, indeque validiſſima ſcilicet tela aduerſarios profligandi conficiebat. Lubet, Illuſtriſsime Princeps, *nõnulla exempla promere, vt Hunnium in Vrbico agnoſcamus,* Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria. Epheſ. 5. Ergo die ſabbathi neceſſariò ieiunandum eſt. Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnũ cœlorum. Matth. 5. Ergo die ſabbathi neceſſario eſt ieiunandum. Filius hominis ſabbathi Dominus eſt. Matth. 12. Ergo die ſabbathi eſt ieiunandum. Venient dies vt auferatur ſponſus ab eis, & tunc ieiunabunt filij ſponſi. Matth. 9. Sequitur ergo quod antea; *& quidem, vt Hunnius loqui ſolet*, irrefragibiliter & irrefutabiliter. Eſca periit Adamus in Paradiſo; Eſca Eſau primatum amiſit; Moyſes quadraginta diebus panem non manducauit, nec bibit aquam. Ergo ſabbatho eſt ieiunandum. Manducauit & bibit Iacob vinum, & ſatiatus eſt & receſsit à Deo ſalutari ſuo, & ceciderunt vna die viginti tria millia, ſequitur ergo denuo iam toties deducta, & collecta concluſio.

Quid

Quid multa? ſi quis delirantis diſputatoris viuam ſpirãtemque imaginem intueri cupit, is Vrbici argumẽta legat, & poſt Vrbicum Hunnij: qui nobis huius notæ conſequentias, nõ modio aut trimodio, ſed ipſo horreo in omnibus ſuis libris admetitur. Iudæis credita ſunt eloquia Dei. Rom. 3. Ergo non ſunt plures libri canonici quam recenſeat S. Hieronymus in prologo Galeato. Panis in Euchariſtia conuertitur in corpus filij Dei ſecundum pontificios. Ergo vnitur hypoſtaticè cum filio Dei. Panis poſt cõſecrationem non remanet in Euchariſtia; Ergo panis annihilatur. Fides eſt certiſsima, ergo quiuis certò ſcire & credere debet ſe eſſe iuſtificatũ, alioquin caret fide. Pontifex certò ſcit, eos quos canonizat, in beatorum ſedes receptos eſſe, ergo etiam certò ſcit, ſe eſſe in gratia Dei. Pontificij certi ſunt de ſalute eorum, quos Pontifex in catalogum diuorum adſcribit; Ergo certi etiam ſunt de ſua ſalute. Latro in cruce peruenit ad beatitudinem abſque purgatorio; Ergo totum purgatorium fabulis eſt annumerandum. Filius Dei dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Gal. 2. Ergo euidenter ſcio me eſſe iuſtum & peccata mihi remiſſa. Pontificij docent peccatum originis per baptiſmum non tantum de-

leri, ſed & penitus exſtirpari, ergo ſunt euidenter certi de ſua ſalute. Pontificij citant pro au-ctoritate ſummi Pontificis illa loca Matth. 16. Tu es Petrus &c. & Ioann. 21. Paſce oues meas, ergo hoc ipſo conſtituunt ſcripturam omnium controuerſiarum iudicem. Prophetæ veteris teſtamenti non tantum ſunt per ſcripturam loquentes, ſed & CLAMANTES, iuxta illud Paulinum Rom. 9. Iſaias autem clamat pro Iſrael: Ergo ſcriptura eſt iudex omnium controuerſiarum. Logos ſeu ſermo Dei eſt criticus, ſeu iudicatiuus. Ergo ſermo Dei eſt κϱιτικὸς ſeu iudex omnium cõtrouerſiarum. Secundũ Pontificios meretur quilibet fidelis quouis charitatis actu vitam æternam. Ergo ſecundum Pontificios ſunt plures vitæ æternæ: Primo enim actu meretur quis primam, altero alteram, tertio tertiam, *& ſic deinceps pro multitudine actuũ: vel potius inſipientium ineptiarum Hunnij; quarũ plura exempla non profero, plura ſuppeditabit ipſe Hunnianus Labyrinthus, ſed à me deſtructus, quem tibi,* Illuſtriſsime Princeps, *lubens meritò offero & conſecro. Si quis quærat, cur non offeram integrum? In promptu eſt reſponſio, quia integrum adeo non deſideras,*

vt eum toto pectore deteſteris, & vel attigiſſe, nedum perluſtraſſe, piaculum ducas. Prudenter; quia vaniſſimus eſt, plenus dolis & mendacijs, plenus impia & inſulſiſſima hæreſi; & in eo canunt cycni, quorum voces ad ripas Mincij tui nõ perſonãt, vt taceã Minotauros, q in Cretico hunniano labyrintho ſtabulantur, quos niſi ſtylo pſtratos & iugulatos Italico ſolo inferre nõ licet; quia peſtẽ inferre non licet. Ergo cum huiusmodi labyrinthus euerſus & proſtratus vnà cum ſuis indigenis ſit longè pulchrior, iucundior, ſalubrior, addo & ingenioſior: par fuit, vt non niſi dirutum ad te mitterẽ. Cauſas mittendi percenſere quid opus? Mittere neceſſe habui; Siue te ſpectem, Illuſtriſsime Princeps, *cuius virtus tam rara, pietas tam religioſa, doctrina ſupra ætatem magna, & admirabiles illæ præclariſſimæ indolis dotes, hoc quicquid eſt operis & operæ merebantur. Proditum eſt Macarium Ægyptium appellatum eſſe* παιδαριογέροντα, *quaſi dicas vnica voce,* Adoleſcẽtuloſenem, *ob eruditionis præſtantiam, qua in ipſa adoleſcentia vel ſenes æquabat. Nihil auribus dabo;* παιδαριογέρων *ille tu es, Princeps* Nicephor. lib. 9. cap. 14.

Ferdinande: Siue ſocietatem; quam Sereniſsimi maiores tui tot beneficijs ſibi æternùm deuinxerunt, tuque deuincire indies magis inſiſtis; Siue me, omnesque collegij Ingolſtadienſis incolas; in quos luculenta beneuolentiæ & humanitatis tuæ argumenta extant; Siue ipſum prædicantem Hunnium, de cuius audacia, vanitate, inſulſaque garrulitate creber mihi tecũ ſermo, cum ſtudiorum gratia in Academia noſtra verſareris: & quia Labyrinthus, quem demolior, Hunnianæ impudentiæ clariſsimum ſpecimen eſt, multo melius hinc, quàm ex vllo colloquio, quali genio præco iſte agatur, cognoſces. Tot igitur nominibus debitum tibi opus libens à libente accipe, Illuſtriſsime princeps, *cui* lacheſis net plena aurea fila colo, *vt eloquentiſsimus Muretus de Sereniſsimo parente tuo olim cecinit; catholicaque Eccleſiæ viue & creſce virtutibus, eruditione, annis. Ingolſtadij die ſexto Iulij, Anno Domini.*

M. DCII.

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM *de modo, quo hæretici ſcripturas tractant & citant.*

Gabaonitas veteres illos Impoſtores & populi Iſraëlitici deceptores, veros germanosque hæreticorum typos fuiſſe; non inuitus fatebitur, quisquis mecum accuratius perpendere volet notas illas, quibus in ſacra ſcriptura depinguntur: nam primo omnium vetuſtatem ſimularunt; acceperunt enim *ſaccos veteres*, & *vtres ſciſſos atque conſutos, aſinisque* impoſuerunt. Item *calceamenta perantiqua*, quæ ad indicium vetuſtatis *pittacijs conſuta erant*; *veſtimenta*, inſuper *vetera, panes duros & in fruſta comminutos*. Secundo, ſimul atque os aperuerunt; mentiri cœperunt. *De terra*, aiebant, *longinqua venimus*. Nec contenti mendacium ſemel protuliſſe, repetunt, ſimulque nouum addunt; non ſine exaggeratione prioris; Nam cum Ioſue ſciſcitaretur, *quinam eſtis vos ? aut vnde veniſtis?* reſponderunt: *de terra longinqua* V A L D E, *venerunt ſerui tui in nomine Domini Dei tui.* Vbi notetur illud VALDE, primi mendacij Epitaſis & intenſio, & nouum illud, quo ſe fingunt in *nomine Domini* veniſſe, cum veniſſent in nomine eius, qui ab initio mendax & fallax fuit. Ioſue cap. 9.

Tertiò, adduxerunt ſcripturas, tantum non citantes & allegantes libros & capita; & verſiculos ſeu paragraphos, in quos ſingula capita ſecantur. *Audiuimus*, dicebant, *famam potentiæ eius, cuncta, quæ fecit*, (Deus veſter) *in Ægypto* (mirum non citaſſe librum Exodi, in quo hæc ſcripta) *& duobus Regibus Amorrhæorum, qui fuerunt trans Iordanem, Sehon Regi Heſebon, & Og Regi Baſan, qui erant in Aſtaroth.* Quarto, prolatis illis, quæ ſcriptura tradit; rurſus os in mendacia reſoluere ingreſſi ſunt his verbis: *Dixeruntque nobis ſeniores & omnes habitatores terræ noſtræ; tollite in manibus cibaria ob longiſſimam viam. En panes, quãdo egreſſi*

do egreſſi

do egreſſi ſumus de domibus noſtris, vt veniremus ad vos, calidos ſumpſimus, nunc ſicci facti ſunt, & vetuſtate nimia comminuti. Veſtes & calceamenta, quibus induimur, & quæ habemus in pedibus, ob longitudinem longioris viæ trita ſunt, & pœnè conſumpta. Quinto, ſubmiſſionem & ſubiectionem maximam præ ſe tulerunt, nam inter omnia mendacia, quid auditum ſæpius, quam iſtud? *ſerui tui ſumus; ſerui veſtri ſumus: fœdus inite nobiſcum.*

Sexto; quis finis horum omnium? In fraudem inducti ſunt Ioſue & omnes Iſraclitæ. Qua de cauſa? *Quia os domini non interrogauerunt.* Et dum circumſpectioni & ſapientiæ ſuæ nimium fidunt, Gabaonitis ludibrium fiunt. In quib. agnoſcis, opinor, Chriſtiane lector, tanquam in imagine, noſtros hæreticos, qui antiquitatem per ſummam hypocriſin ſimulant; induuntque ſe veſtimentis veterum vetuſtiſſimis, hoc eſt, teſtimonijs vtriuſque teſtamenti; & antiquorum patrum & hiſtoricorum, ſed diſcerptis, nec pauca, prius tamen miſerandum in modum truncata, lacerata, peregrinis coloribus tincta, & ſimul in vnum faſcem collecta imponunt *aſinis*, hoc eſt, Prædicãtibus; moxque mendacijs & ſimulata vetuſtate inſtructi & tecti ad Orthodoxos ſe conferunt, cum hoc Gabaonitico procœmio. *De terra longinqua venimus.* Si quæratur; *Qui genus, vnde domo?* mendacium iterant, non ſine additamento. *De terra longinqua valde venimus*: Ex Sion exiuimus: ex Hieroſolymis; imó ex ipſo Paradiſo: A Chriſto eiusque Apoſtolis deſcendimus: quantum viæ emenſi ſumus; quot ſecula ambulando conſumpſimus; donec ad vos peruentum eſt. Adſumus, vt vobiſcum fœdus feriamus. Adſumus in nomine Dei veſtri. Verbum Domini adducimus, à quo & adducimur. En quot & quanta vetuſtatis argumenta, plana, teſtata, perſpicua. Noua erant cum domo egrederemur, nunc ob longitudinem longioris viæ antiquiſsima ſunt: En panes verbi Dei, *quod in æternum manet*, quando egreſſi ſumus de domibus noſtris, vt veniremus ad vos, calidos ſumpſimus ex ipſo furno, in quo piſti; Nunc præ ſenio mucore propemodum caneſcunt. En vtres vini, *quod lætificat cor hominis*; recẽtiſſimi erant diſcedentib. nobis ex patria; nunc æuo veterauerunt. En veſtes, calceos, cætera; quàm priſca omnia. Et mox clitellas & fiſcellas aſinorum ſuorum Prædicãtium, ipſis aſinis adiutantibus, aperiunt, mille ſimulatæ antiquitatis teſtimonia promunt, capiendis & in fraudem illiciendis proponunt, omnia *in nomine Domini*; omnia, cum magnæ ſubmiſſionis & moderationis indicio, mira canunt; quæ Deus fecerit in Ægypto; quæ Regi-

bus.

bus Heſebon & Baſan; quæ alibi; quæ alijs;nihil auditur,niſi modeſtum,ſanctum,nihil niſi ex ſcriptura,aut priſcorum monumentis deſumptum.In ſumma,aream concinnant,offundunt cibum.

Quid agat non modó imprudens, imperitus, & indoctus;ſed & prudens,rerum peritus & doctus, ne ab aduenis iſtis tantæ vetuſtatis ſpecie circumueniatur? Si enim Ioſue vir Deo tam charus & familiaris;Si omnes principes Iſraëlitici in caſſes & retia impoſtorum inciderunt; quo pacto alij ſecuritatem á fallacia ſibi pollicebuntur, quib. tanta doli deprehendendi non eſt ſolertia? Quid facient,ſi Gabaonitæ iſti antiquitatis ſuæ aſſerendæ gratia ſaccos plenos teſtimoniorum proferant; (vt nuper in Colloquio Ratisbonenſi factum)quibus fucum incautis faciant,fucoque facto,illa ſua dogmata perſuadeant; *Solam ſcripturam eſſe omnium controuerſiarum normam vnicam & vnicũ iudicem. Scripturã omnia ad ſalutem neceſſaria continere; Scripturam adeo lucidam eſſe,ac ſi nõ atramento,ſed luce cõſcripta eſſet.* Quò quis ſe vertat, cùm aſinos ſagmarios ſeu clitellarios his auctoritatib. ex ipſa ſcriptura,ex priſcis patrib. & ex Iure pontificio onuſtos adſtare conſpicatur? Agendum videlicet eſt id, quod Ioſue & Iſraëlitæ non egerunt;& q\a id non egerunt,in paratas pedicas incurrerunt. Os domini interrogãdũ eſt. Tabernaculũ fœderis intrare oportet; vt erudiamur. Cũ Paulo & Barnaba aſcendendũ eſt Hieroſolymã ad Apoſtolos, conſilij capiendi cauſa. Cum eodẽ Paulo rurſus Hieroſolymam petere neceſſe erit videre & audire Petrum. Vno verbo. Si decipi non vis; *dic Eccleſiæ. Interroga patres tuos, & dicent tibi: Seniores tuos, & annunciabunt tibi* totã illã antiquitatem, nil eſſe niſi meram fraudẽ, & remotiſſimã illam regionem,quã tanto verborũ ſonitu prædicant, nihil niſi fumũ,vaniſſimamq; nebulã oculis obfuſcandis excogitatã. Videbis in vicino habitare, qui de remotiſſima regione gloriantur. Videbis egreſſos non ex Paradiſo,ſed ex Orco,nõ ex Hieroſolyma,ſed ex witeberga aut Gebenna;nõ ante ſexdecim ſecula; ſed ante paucula luſtra, nec canos eſſe verè,ſed fallaciter & fucatè. nec priſcos,ſed nouitios,& heſternos, laceros tamen centonibusq; obſitos. Quocunq; enim teſtimoniorũ genere ſeſe amiciant; id mutilant; truncant; lancinant; & hinc inde emendicant & comportant; inq; vnam,vt ſic dicam,veſtem ſibi conſarcinant. Videbis panes quos veterrimos iactant;recenter ex Lutheri aut Caluini Piſtrino ſumptos:aut ſi quos veteres habent; illi in Simonis magi, Eunomij, Aëtij, Aërij & ſimilium antiquorum ſectariorũ furno cocti ſunt;& in fornace Lutheri & Caluini recocti.

Deut. 32.

Cæte-

Cæterum cur iſti Gabaonitæ Lutherani & Caluiniani adeo antiquitatem ſimulent & affectent,& cum Gabaonitis nil niſi vetuſtatem,& quidem ex ſacra ſcriptura crepent; & quocunque veniunt,in nomine Domini ſe venire mendaciter fingant:id alibi fuſè demonſtraui,iterumq; hic demonſtrabo,ſed aliter,nec tam meis, quam ſanctorum patrum verbis. Cauſa primaria eſt,quia Gabaonitæ,hoc eſt, hæretici ſunt, omnes hæretici morem hunc & genium inſitum à natura habent; vt his,*quæ bene ſcripta ſunt male vtantur*, inquit B.Cyrillus Hieroſolymitanus. *Neque enim natæ ſunt hæreſes*,teſte S.Auguſtino,*& quædam dogmata peruerſitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia,niſi dum ſcripturæ bonæ intelliguntur non bene,& quod in eis non bene intelligitur,etiam temerè & audacter aſſeritur.Neque enim non omnes hæretici ſcripturas catholicas legunt,nec ob aliud ſunt hæretici,niſi quod eas non rectè intelligentes,ſuas falſas opiniones contra earum veritatem peruicaciter aſſerunt.* Quo fit, vt *omnes hæretici, qui* ſcripturas *in auctoritate recipiunt, ipſas ſibi videantur ſectari,cum ſuos potius ſectentur errores,ac per hoc non quod eas contemnant,ſed quod eas non intelligant, hæretici ſunt*. Etſi negari non poſſit,quin etiam ex contemptu:quia *ſcripturas ſic accipiunt,vt ſuo quodam priuilegio,vel potius ſacrilegio,quod volunt,ſumant: quod nolunt,reijciant.* Et ſi *verbum aliquod nudum ſuis prodeſſe inſtitutis intelligant,id ipſum à genuina orationis ſerie reciſum, ad proprias cauſæ ſuæ demonſtrationes pertrahunt: non apto ſenſui attendentes, ſed vi ſyllabas ad peruerſiſsimas ſuas artes detorquentes.*

In Reſpon. contra Theſ. Hunn.

S. Cyrill. catech. 18.

S. Aug. tract. 18. in Ioann.

Idem lib 83. qq. 69.

S. Auguſt. Epiſt. 222.

S. Auguſt. lib. 2. de bono perſeuer. c. 11.

Tom. 2. oper. S. Athan. orat. V. aduerſus diuerſas hæreſes

Et hoc neceſſariò faciendum eſt hæreticis, ſi in hæreſi perſtare velint:*Non enim poſſet eis error oboriri palliatus nomine Chriſtiano, niſi de ſcripturis non intellectis.* Nec ferre queunt, vt quæ proferunt, æqua lance expendantur,& ad trutinam reuocentur;quin potius quam primum aliquid ex diuinis literis producunt, id ſine vllo examine accipi volunt:Et meritò quidem, ſi ipſi falſarij & Paracharactæ non eſſent; cœleſtiaq; oracula natiuo ſuo ſplendore nitida nobis adferrent. Nunc cum nihil tam ſanctum ſit, quod hæretica peruerſitas non peruertat, fruſtra à nobis exigunt, vt ad prolata ex bibliorum codice teſtimonia lapidem Lydium probationis cauſa non adhibeamus. *Vix reperti ſunt*, ait ille,quiſquis eſt,vetus & eruditus auctor,*qui quæ hominum ſunt maxime ſubuertere conentur omnia, magnoque id ſtudio agant, vt mente quidem homines rationali exuant,nec res natura honeſtas perdiſcant,ſimpliciter verò omnibus,re in nullam partem excuſſa,aſſentiantur,ſacrarum literarum oracula abſque vlla vel conſideratione, vel correctione accipiendo,nec ad pium,*

S. Aug. lib. 7. de Gen ad lit. cap. 9.

Tom 2. Oper. S. Athan orat. 12. aduerſus diuerſas hæreſes.

Digitized by Google

pium, quo edita ſunt, ſcopum attendendo. Egóne verbum audiam, & conuenientem ſenſum non inquiram? Vbi igitur aut ſermonis conſequentia, aut audientis vtilitas? Malo te ad ſenſum rei, quam ad ſonum vocabuli exerceas ait Tertullianus, non tamen ad ſenſum priuatum, qui ſæpe non probus, ſed ad publicum Eccleſiæ, qui ſemper probus. *Tertull. lib. contra Prax. cap. 3.*

Hoc Tertulliani monitum, adeo non obſeruarunt veteres hæretici; vt multa olim ea ſolũ de cauſa repudiarint, quod ſono & vocabulo in ſcriptura non continerẽtur, licet cõtinerentur ſignificatu. Quas turbas dederunt Ariani, Aëtiani, Eunomiani, ob dictiones τῦ ὁμοουσίου καὶ τῆς οὐσίας. Eandem viam initio ingreſſi erant noſtri Gabaonitæ, & quædam ideo ad aures & animum nõ admittebant; quod dictiones illæ in ſcriptura non exſtarent; vt purgatorium, & id genus alia. Sed retulêre pedem, poſtquam animaduerterunt, quantam abſurditatum nubem dogma hoc ſecum trahat: quamque facilè promptumque cuiuis ſit, ſciſcitari, vbi nam in ſacris litteris reperiatur nomen *Trinitatis*; nomen *Conſubſtantialis*, nomen *Ingeniti*; & cætera de genere eodem, quæ ipſi reſpuere nequeunt, niſi velint cum Arianis colludere, aut apertè caſtra & arma iungere. Quod ſi in hac ſua inſania noſtri nouatores perſtitiſſent: redarguiſſemus eos eodem modo, quo olim S. Athanaſius Arianos ob voces *ſubſtantiæ & conſubſtantialis. Hic mihi dicunt, vocabula ex ſubſtantia & conſubſtantialis ſibi non placere, & illas voces quoſdam ſcandalizaſſe, & multos conturbaſſe, eam enim rationem ipſi in ſuis ſcriptis allegant. Verum probè illis hunc in modum occurreris. Si ipſæ voces per ſe illis cauſam ſcandali habere videntur, non modò aliquos ſcandalizaſſent, neque multos conturbaſſent, ſed & nobis & reliquis omnibus æquè ac illis ſcandalum peperiſſent: contra ſi omnes amant has voces, quique eas in ſcriptis vſurparunt, non homines vulgares ſunt, ſed Epiſcopi, qui ob id ex toto terrarum orbe conuenerunt, qui fieri poßit, vt non ſtatim refutentur, qui contra Synodum loquuntur, quaſi verba, ac non potius malè interpretantium prauitates in culpa eſſent; qui non rectè legentes ſacras ſcripturas, & peruerſè intelligentes, ſanctos viros calumniantur; quales tum Iudæi fuêre, & hoc tempore Manichæi blaſphemantes legem, quibus ſcripturæ mali iſtius non fuerunt cauſæ, ſed ipſorum animi peruerſitas. Si igitur oſtendere poteſtis verba eſſe mala, oſtendite quæſo, & adhibeatur certa ratio demonſtrandi.* Huc vſque in veteres nouosque Gabaonitas S. Athanaſius. *S. Atha. de Synod. Arim.*

Cæterum, hodierni ſectarij, iam vix amplius, vt dicebamus, de vocabulis contendunt; Saniorem mentem inſani induerunt. Sed ita, vt

exceptis vocabulis, nihil admittant, quod in ſcriptura diſertè non exprimatur; aut per *validam legitimamq; conſequentiam* inde non deducatur. *Theod. Abac. diſp. 8. Tom. 4. Bibl. ſſ. Pp.* Iſtud .n. additamentum adijciunt iam tanquam abſurditatis ſuæ temperamentũ. *Ego tecũ*, inquit Iudæus apud Theodorũ Abucaram, *ex ſcripturis contendo, nihil .n. quicquã præter illas noui*. Cum Iudæo hoc conformant ſe noſtri hæretici. Quibus reſpondendũ, quod Theodorus reſpondet Iudæo: *Nec ego illas improbo: Auditores tamẽ mihi præmonendi ſunt, quo ſenſu ſcripturas accipiã.* *Ad literam omnia examino*, aiebat Iudæus; *vt quæ verbi gratia, de Dauide dicuntur, ad eum illa ſolùm refero, eodemq; modo, quæ de Abraham, Iſaac, Iacob, Iuda, cæteris*. Cui Theodorus: *Vide quid dicas, nam ſi ſcripturam ea Phraſi eòq; modo accipias, Deũ in pleriſque mendacem facis*. At dicent Prædicantes; ſe etiam mentem ad *S. Auguſt. lib. 3. de baptiſ. cap. vlt.* ſententiam aduertere. Non abnuo. Sed ad quam? *Ad imagines phantaſmatum ſuorum, cum quibus volutari carnalis anima delectatur, conuertunt omnia Sacramenta & verba librorum ſanctorum*, vt B. Auguſtinus *S. Aug. lib. de vnit. Eccleſ. cap. 13.* moris hæretici non ignarus, verè ſcribit, *Nonne iſta eſt hæreticorum cauenda calliditas*, ait alibi idem ſanctus Pater, *volentiũ cõuertere verba Dei à veritate propter quam dicta ſunt, ad peruerſitatem, in qua ipſi ſunt.*

Vtuntur ſcripturis, Et tamẽ nihil prorſus cũ ſcripturis cõmune habent. *S. Athan. orat. 1. cõtra Arian.* Audi S. Athanaſiũ. *Quotquot ſunt hæreſes, nihil habẽt in ſuis figmentis conſtituendis, ꝙ cõmune ſit cum ſacra ſcriptura. Neq; id eos latet, qui huiuſmodi errores tuẽtur, quàm longè, imo quàm omnino, illa hæreſis diſſentiat à ſacra ſcriptura, ſed tamẽ ad dolum ſimpliciorũ, de quib. in puerbiis, ſimplex credit omni ſermoni: illi, veluti Diabolus ipſorũ pater, trãsformationẽ vultus ad ſpeciẽ Angeli conformãt, eamq; verborũ indolem præ ſe ferunt, vt rectũ ſenſũ habere videãtur eumq;, vbi pſuaſerint, eò miſeros deducãt, vt diuerſa alienaq; à ſcripturis ſentiãt. In ſingulis hæreſib. ita transfiguratus diabolus, dictiones ſubijcit plenas dolo. De illis .n. Dominus dixit: ꝙ Pſeudochriſtiani & Pſeudoprophetæ excitabuntur, vt multi aberrent. Quaꝓpter diabolus venit dicẽs in vnaquaq; hæreſi. Ego ſũ Chriſtus, & apud me eſt veritas: omnibuſq; tũ publicè, tum priuatim: pſuaſit Sycophanta ille, vt mendaciis niterentur.*

Scribit Photius de Agapio, monſtro potius hominis; quã homine, *Phot. in ſua Biblioth. in Agapio.* cum ſacroſanctã Trinitatẽ *Conſubſtantialẽ* eſſe docuiſſe: ſed κακούργως, *maligne*; ἵνα μόνον κλέψῃ τῆς εὐσεβείας τοῖς ῥήμασι τοὺς ἁπλουστέρους αὐτῷ ἢ ἀμαθεστέρους προσιόντας, καὶ τὸν ὀλέθριον τοῦ δόγματος ἰὸν τούτοις οἷον γλυκάνας καὶ κερασάμενος, ἀθρόον τῆς αὐτοῦ πληρώσῃ λύμης, *vt verbis ad pietatem accommodatis falleret ſimpliciores & indoctiores, pernicioſumq; dogmatis ſui virus hoc velut condimento adſpergens & temperans, eos ex improuiſo contagione ſua repleret.* Eundem refert idem

Auctor

Auctor omnia propemodũ Chriſtianæ Religionis vocabula vſurpaſ-ſe; tranſtuliſſe tamẽ ἐπ' ἄλλαις ἢ ἐκτόποις καὶ βδελυκταῖς, ἢ ἀλλοκότοις καὶ μωραῖς ἢ ἀναρμόσοις καὶ ἀνακολούθοις ἐννοίαις, *ad alios vel abſurdos & execrandos, ad peregrinos & ſtultos, ad ineptos & inconueniẽtes ſenſus*: οὕτω τὴν οἰκείαν ἀσέβειαν πειρᾶται κρατύναι, *Sic impietatem ſuã ſtabilire conatur*, inquit Photius. Agapij fratres ſunt noſtri Prædicãtes; quia eodem genitore proſeminati, illo nimirum, qui tribus diſtinctis vicibus & locis cum Chriſto in diſputationis certamẽ deſcendit; eo prorſus modo, quo Prædicantes cum rectè ſentientibus congredi ſolẽt. Citabat ſcripturas. Citant & iſti. Mutilabat, detruncabat, peruertebat, & ad impios & à Spiritus ſancti mente alienos ſenſus detorquebat. Idem mos iſtis. *Scriptum eſt*, aiebat: *quia angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedẽ tuum. Male interpretatur ſcripturas diabolus; Certè ſi verè de Saluatore ſcriptum nouerat, debuerat & illud dicere; quod in eodem Pſalmo contra ſe ſequitur: Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. De Angelorum auxilio, quaſi ad infirmum loquitur, de ſua conculcatione, quaſi tergiuerſator tacet. Scripturas nouit latro*, inquit Gregorius Nazianzenus. *ô Sophiſta malitiæ cur ſequentia ſupprimis? Scio, tametſi non dicas, in te aſpidẽ & baſiliſcum adſcendã.* Magiſtri ingeniũ impigrè imitantur, fermè dixerã, ſuperant diſcipuli. *Nam veluti pueris abſynthia tetra medentes cum dare conantur prius oras pocula circum contingunt mellis dulci flauoque liquore vt puerorum ætas improuida ludificetur;* Sic & iſti impoſtores, cũ ludificare volunt (non *labrorum tenus* vt medici, neq; vt quis deceptus non capiatur, potiusque tali tactu recreatus valeſcat) verũ vsq; ad intimos animi receſſus, toxica ſua, melle ſacrarũ literarum circumlinũt; vt quis ſub ſpecie dulcedinis *perpotet amarum abſinthi*, vel vt rectius loquar, exitij *laticem. Latent ſæpe venena circumdata melle verborum*, inqt Beda ex Iſidoro, *Et tamdiu deceptor veritatem ſimulat, quouſq; fallendo decipiat:* quia ne hæreſis publicè, palamq; probroſa habeatur, *Speciem ſuam diſsimulat, & literarum ſacrarũ vocibus, quaſi honeſto cultu, induitur vt pater eius diabolus: ac ſatagit denuo intrare in paradiſum Eccleſiæ, quò ſub forma Chriſtianiſmi nonnullos ſeducat, vt credibilitate falſarum rationum perſuaſi, contra Chriſtum ſentiant.*

S. Hier. in cap. 4. S. Matth.

Nazianz. orat. de baptiſ.

Lucret. lib. 1.

Bed. in Scin. till.

S. Athan. Orat. 2. contra Arian.

Et tamen hac arte, qua ſcripturæ maieſtatem humani generis hoſtis penitus ſubuertit, videri vult eiuſdem dignitatem fortiter aſſerere, & à contemptu vindicare; quo alio fine, quam vt ſcripturã quaſi pro pila habeat; eamque arbitratu ſuo voluat & reuoluat, iaciat & reij-

Tertull. lib. contra Prax. ciat? *Variè diabolus æmulatus eſt veritatem*, inquit Tertullianus, *adfectauit illam aliquando defendendo concutere.* Verè hoc Tertullianus: & ſi exemplum deſideras, non eſt, quod longè abeas. Prædicantes intuere; perſpicuúque huius rei paradigma videris. pulchrè S. Auguſtinus in illud Pſalmi 8. *Vt deſtruas inimicum & vltorem*, ſeu, vt ipſe legit, *defenſorem. Quem niſi hæreticum?* inquit. *Nam & ipſe eſt inimicus & defenſor, qui fidem Chriſtianam cum oppugnet, videtur defendere.* Videtur defendere, at non defendit, ſed proſternit. Aut ſi videtur defendere, imperitis videtur, non illis, qui cor in corde gerunt. Cum Iudæi olim audirent Chriſtum de rebus diuinis grauiſſimè & ſapientiſſimè diſſerentem, admiratione percellebantur, & in has voces erumpebant, Ioan. 7. Quomodo hic literas ſcit, cum non didicerit? Quod iſti falsò & impiè de Chriſto omnis doctrinæ fonte, hoc nobis verè & piè licebit quærere de prædicantibus, quomodo iſti literas ſciunt, cum non didicerint? Vbi enim Hunnius didicit ſacras literas: & à quo magiſtro? Tubingæ, opinor, ab Herbrando & Smidelino. Iſti wittebergæ à Luthero. Lutherus ab illo, cum quo ſalis modium abligurierat, ab illo inquam profeſſore; qui in deſerto, non in Eccleſia; ſupra templi pinnaculum, non intra ipſum templũ; ſupraq; *montem excelſum valde*; non in valle ſubmiſſionis profiteri, ſuumque SCRIPTVM EST, magnificè intonare ſolet. Ex quo promptũ conijcere, qualis ſit hæc ſacrarum litterarum cognitio, quæ à tam ſubtili Rabbino proficiſcitur, & ad Prædicantes venit. Quis muſicam in figlina aut diſcit, aut didicit? Quis veram ſcripturarum intelligentiam extra Eccleſiæ, vt ſic loquar, Academiam? In qua vox illius doctoris reſonat, qui mortalibus omnem veritatem pandit. A quo qui ſcientiam ſacræ ſcripturæ haurit; is demúm verè cum Chriſto dicere poteſt: *Mea doctrina non eſt mea*; quia eſt Catholicæ & vniuerſalis Eccleſiæ. Etſi video verba Chriſti etiam à Prædicantibus vſurpari poſſe; Verè enim quiuis dixerit: *Mea doctrina non eſt mea*; ſed diaboli. quanquam cur non & tua, ò Prædicans? Si enim Ioan. 8. magiſter tuus *cum loquitur mendaciũ, ex proprijs loquitur*, vt Dominus teſtatur, cur non & tu cum mentiris falſamque doctrinam tradis, tuam & propriam doctrinam tradere cenſeri poſſes; licet ſacræ ſcripturæ pallio velatam; ne appareat, quid ſit; aut quis tu ſis. Bern. Serm. 66. in Cantica. *Non ſufficit hæreticos eſſe*, inquit S. Bernardus, *niſi & hypocritæ ſint, vt ſit ſupra modum peccans peccatum. Hi ſunt, qui veniunt in veſtimentis ouium ad nudandas oues & ſpoliandos arietes. An non tibi vtraque res impleta videtur, vbi & fide plebes & plebibus Sacerdotes deprædati inueniuntur? Qui nam iſti*

præ-

Digitized by Google

prædones? Hi oues ſunt habitu, aſtu vulpes, actu & crudelitate lupi. Hi ſunt, qui boni haberi, non eſſe; mali non videri, ſed eſſe volunt. Mali ſunt & boni videri volunt; ne ſoli ſint mali: mali videri timent; ne parum ſint mali. Etenim minus ſemper malitia palam nocuit, nec vnquam bonus, niſi boni ſimulatione deceptus eſt. Ita ergo in malum bonorum boni apparere ſtudent; mali nolunt, vt plus liceat malignari: neque enim eſt apud eos virtutes colere, ſed vitia(& hæreſes) *colorare quodam quaſi virtutum minio*, ad quod tanquam cornuſtibij, ſcripturam ſemper paratam habent; & inde plena manu pigmenta erroribus picturandis promunt; & verba Dei contra Deum proferunt; vt & olim Iudæi; qui, vt probarent Chriſtum non eſſe Meſſiam ad ſcripturam confugerunt; & confugiendum docuerunt. *Nunquid à Galilea venit Chriſtus? Nonne ſcriptura dicit, quia ex ſemine* Dauid, *& de Bethlehem caſtello, vbi erat Dauid, venit Chriſtus?* *Ioan. 7.*

Iidem ad Nicodemum, cum cauſam Chriſti ageret. *Numquid & tu Galilæus es? Scrutare & vide, quia à Galilæa Propheta non ſurgit.* Quã aptè ſcripturas citant; quàm aptè illas aduerſus Chriſtum adhibent. Quam omnia ex *immoto Dei verbo* pulchrè confirmant. Quam prorſus *Prædicanticè*; *eu putes illos tam bene intelligere* (ſcripturas) *quàm enunciant.* Pulchrum ſanè ſpeculum, in quo perſpicuè elucet abſurdus & abſonus ſcripturas allegandi & intelligendi Prædicantium modus. Vbi quæſo in ſcriptura proditum erat; Prophetam, aut etiam ipſum Meſſiam à Galilæa non proditurum? Et tamen iſti audacter citant ſcripturam; & quæri iubent ex ſcriptura; quod non in ſcriptura; ſed in malè ſano illorum cerebro reperiebatur. Ex ſcriptura quidem conſtabat Bethlehem fore locum ortus Meſſiæ: vt ipſimet Scribę & Phariſæi ab Herode aliquando examinati de loco natali Chriſti, reſponderant. Sed an qui ortu Bethlehemites erat; habitatione Galilæus, ſeu Nazaræus eſſe non poterat? An qui natus prodijt ex Bethlehem; manifeſtatus poſtea toti mundo ex Galilæa prodire non poterat? An quia ſcriptura primum prædixerat; ideo alterum ſubticuit? Imo non ſubticuit; *Et veniens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth*; inquit S. Matthæus. *vt adimpleretur, quod dictum eſt per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.* Sed liuor in Chriſtum non ſinebat Phariſæos ad hæc Prophetarum vaticinia attendere. In illo vno de Bethlehem loco hærebant, eumque perperam & hæreticè intelligebant, malèque intellectum aduerſus Chriſtum obiectabant; eo prorſus modo, quo nunc Gabaonitæ noſtri ad vnum vel plures ſcripturæ locos adhærеſcentes, nec antecedentia, nec conſequentia, nec cætera, quę alibi ſcri-

Tertull. contra Praxean. *Matth. 2.* *Matth. 2.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Ioan. 7. ptura tradit, conſiderant; Et nihilominus audaciſſimè cum Diabolo & Phariſæis clamāt: *Scriptum eſt. Nonne ſcriptura dicit?* Quod ſi quis cum Nicodemo patrocinium veritatis vel paululum ſuſcipiat; Statim vociferantur: Ioan. 9. *Nunquid & tu* Papiſta *es. Scrutare & vide. In peccatis natus es totus, & tu nos doces?* Quid ſequitur? *Et eiecerunt eum foras.* An non & iſte modus ſoluendi argumēta Prædicantib. vſitatus eſt & ſolennis?

Finem facio dicendi de ineptijs & impoſturis hæreticorum. Vtinam ipſi finem facerent ineptiendi & imponendi: Hoc tantum te amice lector, neſcire nolo, me in hac Apologia nihil aliud ſpectaſſe; quàm vt Hunnianum Labyrinthum demolirer; hoc eſt, vt breuiter & euidenter Hunnij vanitatem, impudentiam & mendacia craſſiſſimo filo texta patefacerem & redarguerem. nam vt ex inſtituto diſſeram, de omnibus dogmatibus, quæ Hunnius mentiendo allatrat & lancinat, id neceſſarium non duco, quia ab aliis copioſiſſime iam eſt præſtitum. Mihi ſufficit, vt ea, quę iam rectè ſunt ſcriptis mādata, ab Hunniana veſania & maledicentia defendam.

DE LABYRINTHO HVNNIANO Iudicium

NOBILIS ET IN OMNI GEnere litterarum eruditiſsimi viri, qui Ratisbonenſi diſputationi interfuit.

HVnnium tuum, hæreticorum impudentiſsimum, ita clamare ac furere nil mirū, contigit illi quod Marti Homerico, vulnus accepit νείατον ἐς κενεῶνα, hoc eſt tantū non καίριον, quid ni ergo vociferetur ὅσσον τ᾽ ἐννεάχιλοι ἐπίαχον ἢ δεκάχιλοι ἀνέρες ἐν πολέμῳ ἔριδα ξυνάγοντες Ἄρηος. Labyrinthum legi hominis dicā an pecudis? Diui veſtrā fidem. quæ amentia? quis ſtupor? ô caput Anticyris tribus inſanabile. Agnoſco iudiciū Dei, qui hoſtib. ſuis mentē eripere conſueuit, & ſimul miſeret Germaniæ, quæ

belua

Digitized by Google

beluas iſtas in Prophetarũ loco veneratur. Bene, ꝙ exteræ regiones his mõſtris clauſæ: Quid n. Italia ingenioſa, qd ſubtiliſsima Hiſpania, ad tã prodigioſum partũ dicerent, niſi Germaniã ne micã quidẽ cerebri habere? Ego tamen, ne qd diſsimulem, vix, atq; adeo ne vix quidẽ, mihi perſuadeo portentũ illud ita ſentire, vt loquitur, plus quam ſtipes ſiet, plus quã truncus, caudex, lapis. Vnũ igitur hoc ſpectat, opinor, cæterorũ ſecurus, quomodo rudiorũ ora offucijs ſuis ſublinat, nebulã, caliginẽ, imperitorũ, quorũ multò maxima turba eſt, oculis obijciat. Ardelionẽ illum mihi videre videor (noſti quẽ dicam) animal inſulſiſsimũ, geſtientẽ & exultantem, & tantũ non ad aures vſq; rictũ diducentẽ. Hunnius ad tale theatrũ mirè factus, ab ijs quibus tantillũ læua in parte mamillæ ſalit, explodendus, exſibilandus, etiã conſpuẽdus. Te audiebam aliquid aduerſus τέρας illud, Labyrinthum dico, moliri. Age quod agis, manet te triumphus certiſsimus, maiore tamẽ hoſtis ignominia, quam tua laude. Noſti illud, nõ magnum eſſe, nec vel oblectationem dignam politico homine, etiam cum præclara beſtia venabulo trãsuerberatur, quid igitur cum ἄναλκις, ignaua? Sed mittamus tandem hoc θηρίον.

Digitized by Google

FACVLTAS R. P.
Prouincialis.

EGo Gregorius Roſeſſius *Societatis* IESV *per Germaniam ſuperiorẽ Prouincialis, poteſtate ad id mihi facta ab admodum reuerendo patre noſtro præpoſito Generali* Claudio Aquauiua, *facultatẽ concedo, vt refutatio iſta primi Labyrinthi Hunniani à quatuor ſocietatis noſtræ Theologis lecta & approbata typis mandetur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas Auctori P. Iacobo Gretſero dedimus. Auguſtæ 24. die Maij. Anno Domini M. DCII.*

Gregorius Roſeſſius.

APPROBATIO FACVLTATIS Theologicæ Ingolſtadij.

ET typis & luce dignam iudico hanc collegæ noſtri lucubrationem, quia vaniſsimi Logodædali mendaciſsimum Labyrinthum eruditè deſtruit.

Petrus Steuartius SS. Theologiæ Doctor, Profeſſor, Parochus Mauritianus, & Coloniæ ad SS. Apoſtolos Præpoſitus.

DE-

Digitized by Google

DESTRVCTIO LABYRINTHI PRIMI CRETICO. HVNNIANI.

CAPVT I.

Quid ſit Labyrinthus Hunnianus, & quo fine exſtructus.

QVID Labyrinthi nomine intelligat noſter Dædalus, (niſi malit audire Zmilus aut Rholus) ipſemet in fronte operis, hoc quaſi programmate propoſito, expoluit. *Labyrinthus primus Papiſticus, hoc eſt, diſputatio de Papatu ſemetipſum contradictionibus implicante, confundente & iugulante* (notetur fandi copia) *in articulis de ſcriptura ſacra, de perſona Chriſti, de officio Chriſti, de Iuſtificatione, de fide & operibus.* Vbi laudo, quòd diſputationẽ ſuam Labyrinthũ vocat. I. quia quãta, quãta eſt, nihil aliud eſt, quàm inextricabilis error. Adeò Logodædalus iſte impleuit *innumeras errore vias*, vt neque ipſe *reuerti ad limen poßit, tanta eſt fallacia tecti.* II. Quia in hac diſputatione Minotaurus ineſt, de quo iam olim multa Cochlæus in libro aduerſus *cucullatum Minotaurum VVittebergenſem*, Minotaurus inquam ille Islebienſis, ille crudelis amor Fauni, vt quidam tradunt, *miſtumq; genus prolesq;*, non, vt Minotaurus ille Dictæus, *biformis*, ſed, vt ſic loquar, *milleformis*, omnẽ

Vide Plin. lib. 36. cap. 13.

enim ſpeciem imitari & inducere nouit. Huic nouo Minotauro, quod faber iſte nouus, nouum Labyrinthum ponit, *turbatq; notas, & limina flexu ducit in errorem. variarum ambage viarum*, quis non laudet, quis non commendet? Nullum ſtabulum aptius pro Lutherominotauro, quàm Labyrinthus: mirorq; Cochlæū, cui cū hoc Minotauro multū negotij fuit, nō cogitaſſe de aliquo Labyrintho pro hoc monſtro exædificādo, vt nec alios aut oppugnatòres aut propugnatòres Lutheri. Sed nimirū in *portentiſſimis humanæ ſolertiæ operibus* moliēdis, tā induſtrij non erant, quā pater iſte Icari *ingenio fabræ celeberrimus artis*. Etſi fortaſſe parum peritè ago, cum aſſero, nemini in mentem veniſſe, vt Labyrinthum Saxonico Minotauro conſtrueret. Exſtat enim libellus, cui inſcriptio: *Labyrinthus Lutheri.* Ad quem multum operæ cōtulit Cochlæus, & Caſpar Querhamer, ciuis Halēſis. Porrò ſi Hunnius hunc Labyrinthum non Luthero, ſed ſibi ſtruxit, vt habeat, vbi habitet, velitq; ſimul & Dædalus & Minotaurus eſſe; nihil à ratione alienū feciſſe cenſendus eſt. Tantum operam dare debemus, vt Theſeum immittamus, qui informem hunc fœtum conficiat, *nequidquam vanis iactantem cornua ventis*; Et, *inde pedem victor multa cum laude reflectat, Errabunda regens veri veſtigia filo, ne Labyrintheis è flexibus egredientem tectorum fruſtretur inobſeruabilis error.*

vide lib Cochlæi contra Cucullatum Minotaurum VVitebergenſem.

III. Quia, ſi, vt Suidas, & alij docent, Labyrinthus dicitur ἐπὶ τῶν φλυάρων de loquacibus & verboſis, quod multis in ſermone anfractibus & ſtrophis vtantur, rectiſſimè hæc diſputatio *Labyrinthus* appellatur. Quid enim ea loquacius? quid tortuoſius, & flexuoſius? Quid vt paucis dicam λαβυρινθωδέστερον? Eximium hoc habet Hunnius in omnibus ſuis chartis, vt plurima dicendo nihil dicat, illudq; ipſum nihil, quod dicit, mille Mæandris inuoluat, vt dum ambiguo linguæ lapſu fluit & refluit, appareat auditoribus aliquid eſſe, quod ſi propius intuearis, aut nihil eſt, aut fumus eſt. Nec deeſt quarta ratio, cur diſputationem ſuam Hunnius Labyrinthi titulo prænotârit; quia naſſæ piſcatorum, aliaque inſtrumenta variis nexibus & plicaturis contorta & intricata, nominantur *Labyrinthi*; ἐκ σχοίνων λαβύρινθοι ait Theocritus agens de piſcatoriis armis; nam ei, quod ſemel irretiunt & concludunt, aut nullus aut perquàm difficilis patet exitus, ob tot ſinuoſa uolumina. Si hæc notio Labyrinthi vocabulo ſubijcitur, iure Huñiana diſputatio Labyrinthi nomē vſurpat. Naſſa etenim eſt circumueniēdis, & capiendis hominibus, præparata, non ab illo, qui verè ait: *venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum*, ſed ab

Matth. 4.

illo,

Illo, qui res & verba Dei malitioſè & fraudulẽter imitatur, piſcatoreſque ſuos naſſis & toto reliquo apparatu inſtructos emittit, non vt capiant & ſeruent, ſed vt capiant & perdant. Iure igitur diſputationem ſuam vocat Hunnius *Labyrinthum*, hoc eſt naſſam, ſagenam, decipulam, *ſigna ſequendi fallentem, indeprenſum & irremeabilem errorem.*

Sequitur in programmate. *Labyrinthus primus.* Mẽdax inſcriptio niſi animi fallor: tot enim Labyrinthos ante iſtum, condidit Hunnius, quot lucubrationes ante iſtã diſputatiõnẽ euulgauit. Quid enim ſũt omnia ei' ſcripta, dicta, & dictata, quàm Labyrinthi, hoc eſt, texta *parietibus cæcis ad fallendos occurſus, redeundumque in errores eoſdem* circumſepta? Fortè primum vocat nõ abſolutè, ſed primum, qui Labyrinthi nomen diſertè in frontiſpició ſcriptũ ferat. Adquieſco. Si ergo prim', alios ſequi oportebit, quia, vt inquit S. Hier. *primũ nõ dicitur niſi ſecundum ſequatur & tertium.* Quid verò ſi iſte ſit primus & vltim' ſine ordine ad futuros: Aut ſi qui futuri ſunt, tum non immeritò mirabimur & prædicabimus artificis huius præſtantiam & celeritatem feliciſſimam. Ex omni antiquitatis memoria vix quatuor Labyrinthi memorantur, & Dædalus in Cretico centeſimam duntaxat partem Ægyptij imitatus eſt: tãtæ molis res Labyrinthus erat. Verùm iſte noſter vno nõn contentus, plures, & quidem abſque definito numero, pollicetur.

S Hier. præfa. in Epiſt. ad Epheſ.

Vide Plin. loc. cit.

Additur in Epigraphe. *Labyrinthus primus Papiſticus*, imo Hũnian', niſi magis arridet Creticus, aut Creticohunnianus, ob mẽdacia, quibus opus hoc à Dædalo ſuo vbiq; δεδαιδαλμένον & variegatum eſt. Cretenſes ſemper mẽdaces, ait cũ Epimenide Apoſtolus & Callimachus. Quod elogium migrauit ex illa Inſula ad noſtros Prædicantes. Quare non mirum, ſi opera eorũ ſint Cretenſia, & Labyrinthus Hũnij Creticus. Deinde ſi Labyrinthus iſte rectè vocaretur *Papiſticus*, id aut fieret propter auctorem, aut propter locum, in quo conditus, aut propter materiam & argumentum, aut propter finem & vſum. Non primum, quia auctor tam beatus non eſt, vt *Papiſta*, opuſque eius *Papiſticum* nuncupari queat. Non ſecundum. Quia Labyrinthus hic Witebergæ, hoc eſt, in natali ſolo quinti Euangelij & Minotauri Islebienſis exſtructus eſt. Non tertium; non enim complectitur materiam *Papiſticam*, hoc eſt Orthodoxam, ſed Hæreticam & Hunnianam, & in omnes rectè ſentientes calumnioſam, & iniurioſã. Non quartum, quia *Papiſtæ* nõ degunt in Labyrinthis & latibulis,

Digitized by Google

quibus implicentur,& ex errore in errorem ruant,ignari quò tendāt, quò non tendant,num progrediantur an regrediātur:ſed in Eccleſia habitant,Regia in excelſo montis culmine conſpicua,luce plena, ſemitis planis & directis vbiq; peruia. Vulpes foueas habent & habitāt hæreticiq; Minotauri Labyrinthos.Sit ergo Labyrinth⁹ primus *Creticohunnianus*, hoc eſt,*diſputatio* de Papatu: (Corrige vt in veſtibulo libri mei) *de Hunnio: genioque Lutherano ſemetipſum contradictionibus, fraudibus & mendaciis, calumniis, & criminationibus implicante, confundente & iugulante, in articulis de ſcriptura ſacra de perſona Chriſti, & aliis.* Hanc enim eſſe germanam huius Labyrinthi inſcriptionem,& eius, quod breui Labyrinthi nomine ſignificatur, veram & legitimam explicationem, planiſſimè,diuina adiutus gratia, hac diſſertatione oſtendam. Sed ſatis de titulo. Cauſas Labyrinthi expendamus.

Fortè exſtructione Labyrinthi ad veterum imitationem accedere,& accedendo veterum quoque laudē mereri voluit. Nam contra Theodotum,antiquum Hæreticum,librum,*Labyrinthi titulo* editum eſſe,teſtatur Theodoretus,quem nonnulli Origeni adſcribebāt, etſi immeritò,vt Theodoretus ait.Sed vix in animum induco credere,Hunnium hac mente Labyrinthum ædificaſſe, quia ille aduerſus Theodotum *Labyrinthus* exiguus erat,&ita etiam indigitabatur. At Hunnius immenſum opus molitur:Si enim primus Labyrinth⁹, longe plures nomos & regiones habet, quam Ægyptius, quippe in 323. poſitiones diuiſus:ingēs profectò ſtructura excreſcat oportet; ſi reliqui vel pares,vel magnitudine ſuperiores adijciantur. Valde inſuper dubito,num ſciuerit Hunnius vllum aduerſus Theodotum Labyrinthum olim ſcriptum eſſe.Eſt enim ex eorum numero, qui antiquitatis monumenta magis ſpernunt, quam ſciūt. Quare ad imitationem Labyrinthum illum ſibi proponere non potuit: nam imitatio exiſtit ex propoſito,& ex deſtinata deliberataq; voluntate. Fortè architectis Labyrinthi Ægyptij,Cretici,Lemnij,& Italici tot annorum curriculis iā poſſeſſam gloriam inuidit, eāque hoc ſuo prodigioſo Labyrinto obfuſcare,aut ad ſe deriuare ſtatuit. Iſtam fortaſſis cauſſam animo celat; nam ore promit aliam, hanc nimirum, vt oſtendat, Pontificios inelu&abilibus & inextricabilibus diſſidiis & antilogiis inter ſe conflictari, ac proinde nihil eſſe, cur Lutheranis iurgia & rixas obiiciant,*obliti diſſenſionum domeſticarum*.

Theod.lib. 2. Hæret fabul.

Honeſta

Honeſta cauſſa; ſi eſſet vera. Ampla conſtruendo Labyrintho materia, ſi non eſſet commentitia & imaginaria. Nunc cum contradictiones, quas Hunnius adducit, aut non ſint contradictiones, aut ab illo inſcienter & petulanter ſint confictæ, diuerſæq; ſententiæ variorum auctorum non pertineant ad capita fidei, ſed ea argumenta contineant, de quibus ſalua charitate, pacisque vinculo integro, in hanc aut illam partem diſceptatur, obtuſo pectore eum oportet eſſe, qui ex huiuſmodi velitationibus, & opinionibus Labyrinthum, hoc eſt, diſſenſionum quoddam chaos, indigeſtamque molem effici poſſe credat, cum in eo, quod fides tradit omnes vna voce conſpirent, aut ſi quando diſſentiunt, ex caligine humaniq; ingenij imbecillitate diſſentiant, nō ex pertinacia & obſtinatione animi, more hæreticorum, potius animam amittere, quàm ſententiam mutare volentium, qui de ipſis ſectæ ſuæ & perfidæ fidei fundamentis inter ſe digladiantur & nunc hoc, nunc illud tradunt, & vt folia in ſyluis, pronos mutantur in annos, imò in ſingulos pœnè dies, cum Hæreſis natura ſua inſtabilis vno loco conſiſtere nequeat, omnique doctrinæ vento circumferatur. Ex quo ſit vt toties profeſſionis ſuæ formulas mutent, & inuertāt, fidesq; ſuas, citharœdorum more, intendant aut remittant arbitratu ſuo. Verè S. Athanaſius, de Arianis, & in illis de his noſtris. *Cuncta mouent & turbant, neque vel ita ſuis ipſi decretis acquieſcunt. Quotannis enim in vnum coëunt, veluti qui tabulas pactaque ſcribant, ſimulantque ſe pro fidè ſcripta conficere, mirè interim & fœdi & ridiculi, quum ſcripta eorum, non modò ab alijs, ſed etiam ab ipſiſmet explodantur. Nam ſi fidere auſi fuiſſent prioribus ſuis ſcriptis, non ſecundò ſcripſiſſent, neque illis denuò repudiatis ad tertiam ſcripturam proſiliiſſent, prorſus ſtudio habentes, vt rurſus ea mutent, ſi vel puſillum temporis interceſſerit, vel occaſionem nacti fuerint pro ipſorum conſuetudine inſidiandi.* *S. Atha. orat. 1. contra Arianos.*

Inconſtantem eſſe proprium eſt eorum, qui à recta via diuertunt, inquit Theodoretus: *huc enim & illuc oberrant, per viam minimè tritam ingredientes. Mentior, ſi non etiam à regulis ſuis variant inter ſe*, inquit Tertullianus, *dùm vnuſquiſque proinde arbitrio modulatur, quæ accepit; quemadmodum de ſuo arbitrio ea compoſuit ille, qui tradidit. Agnoſcit naturam ſuam & originis ſuæ morem profectus rei. Idem licuit Valentinianis, quod Valentino, idem Marcionitis, quod Marcioni; de arbitrio ſuo fidem innouare.* Quod ſi hoc licuit Luthero, cur non & Carlſtadio? cur non Zuuinglio? cur non Caluino? Cur non Oſiandro? *Theod. Dial. 1.* *Tertull. præſcript. cap 42.*

cur non Brentio? cur non Hunnio? cur non Huobero? cur non cæteris? cum idẽ ius quidlibet audẽdi & fingendi ſuppetat poſteris, quod ſuppetit primo omniũ parenti & auctori. Neque enim maiore iure fidem nouauit Lutherus, quam ZWinglius, Illyricus, aut Caluinus.

An non Hunni, ſæpius Auguſtanam cõfeſſionem mutauit partim ipſe Philippus, partim alij, quam Ariani olim perfidiæ ſuæ Symbola, qui tãta totieſq; repetita mutatione & interpolatione etiam ſuos ſectatores incertos reddebant, quodnam Symbolum, repudiatis aliis, amplecterentur. *Quam enim eorum ſcripturam* (Confeſſionem) *auditor recipiat?* ait S. Athanaſius: *Aut qua tandem ſuarum ſcripturarum* (confeſſionum) *ipſi freti nouitios in fide inſtruant: nam ſi omnes illorum ſcripturæ inter ſe conſentiunt, quid opus tam multis ſcripturis? ſin autem opus eſt tam multis, certe manifeſtum, quamlibet earum deficientem & non plenam eſſe, quod ipſi multo magis, quàm nos, verum eſſe oſtendunt, dum omnes ſuas ſcripturas immutant, & transformant, dum perpetuo ſcribunt,* inquit ille idem S. Athan. *ſuametipſi immutantes, incertam ſuam fidem, vel potius certam infidelitatem, dementiãq; oſtendunt. Idq; merito illis accidere videtur, quum enim ſemel veritatem, vt transfugæ, deſeruerint, Nicænamq;* (Tridentinam) *fidem recte ſcriptã euertere ſtudeant, ſatis illis eſt, iuxta id quod ſcriptum eſt vel pedes ſuos mouere: Quocirca & ipſi, vt olim Hieruſalem, laborant & defatigantur ſuis permutationibus, dum alia atque alia ſcribunt, ſolum in id intenti, vt tempora lucrentur, Chriſtique perduelliones remanentes alios in errorem abducant. Quis igitur cui maximè cura eſt veritatis, iſtos vlterius ferat? Quis eos ſcribentes non iure auerſetur? Quis non damnauerit eorum audaciam? Penitus inſpectæ Hæreſes omnes,* inquit Tertullianus, *in multis cum Auctoribus ſuis diſſentientes deprehenduntur.*

S. Athan. de Synod. Arim. & Seleuciæ.

S. Atha. orat. 2. contra Aria.

Tertull de præſcript.

At parum eſt, vt diſcipuli à Magiſtris, & ſucceſſores ab anteceſſoribꝰ ſtudia in cõtraria tendant. Illud magis mirãdum; quòd ijdem à ſeipſis ſentẽtiarũ decretis diſcrepant, & quod prius, ceu merũ Dei verbum prædicarant, id poſtea reiiciant, & damnent, tam variabiles, & verſatiles, vt nõ quouis anno, ſed propemodũ quolibet mẽſe ſint alij & alij: Qua ſpiritus vertigine potiſſimum hoc noſtro ſæculo circumacti ſunt Lutherus & Philippus, quorum ille à primo defectionis ſuæ anno, vſq; ad ſupremum vitæ ſuæ diem, nihil aliud egit, quàm vt ſuis contradictionibus doctrinam ſuam anteacto tẽpore traditã & publicatã euerteret, nouis ſẽper & quæ prioribꝰ ex diametro oppoſita eſſet dogmatibus introductis. Ille vero poſtquam creberrimè confeſſionẽ

Auguſtanam,

Auguſtanam; Apologiam, locos communes finxiſſet & refinxiſſet, tandem tranſitione ad Caluiniſtarum Synagogam facta, vnico ictu totam confeſſionem Auguſtanam proſtrauit, & ex fundamentis euertit. Tranſiſſe autem Philippum ad Caluiniſtas tempeſtiuè, hoc eſt Luthero nec dũ ad Tartara detruſo, pluribus locis oſtendit Lutheranus Schlyſſelburgius, ne Hunnius Philippum ſibi vendicare ſtudeat.

Schlüſſelb. lib. de Theolog. Caluiniſt.

Cæterum qua conſtantia tractant hodierni hæretici ſuos libros, & propria decreta, eadem tractant ſacras literas, dum vnus eas in hũc ſenſum interpretatur ex Græco aut Hebraico, alius in aliũ; dũq; vnus omittit tanq̃ apocryphũ, quod alter veneratur quaſi canonicũ, & diuinitus inſpiratũ. Verùm hanc ſuã grauiſſimis in rebus leuitatẽ tueri poſſunt exẽplo maiorũ, à quibus genus ducũt, nominatim eorũ, qui à Theodoto Theodotiani nominãtur, de quibus ex authore *parui Labyrinthi* mira Theodoretus, & ante illum ex eodem, vel alio ſcriptore, eadẽ fermè Euſebius, quæ exſcribã, vt videas, nũ te, tuoſq; Lutheranos in iis, tanquã in ſpeculo agnoſcere poſſis: *Etiam in ſacras literas cõfidenter & temerè quaſi manus violentas iniiciunt: easq; ſe emẽdare & corrigere prædicant. Quod verò ipſe equidem nihil falſi in eos ementitus loquar nemini verum ſcire cupienti poterit eſſe obſcurum. Nam ſi cuiuſquam illorum exemplaria in manus ſumere, accuratè perueſtigare, & inter ipſa conferre voluerit, reperiet profectò illa quàm maximè inter ſe diſsidere. Nam Aſclepiodoti exemplaria, cum illis quæ ſunt Theodoti, admodum diſcrepant; Ac multa planè ſuppetunt, propterea quod illorum diſcipuli exemplaria ab vtriſque (vt illi appellant) correcta, (vt nos) corrupta, ſtudioſè & ſedulò deſcripſerunt. Rurſus quæ ſunt Hermophili, cum iſtis minime conſentiunt: quæ Apollonij dicuntur, ipſa ſibi non conſtant. Licet enim quæ prius ab illo exſcripta fuerunt, & compoſita, poſterioribus denuo inuerſis innouatisque comparare: Sic inuenire illa inter ſe valde diſſentientia erit perfacile. Quantum inſcitiæ & temeritatis habeat perditus iſte conatus, ne illos ipſos quidem ignorare ſuſpicor. Aut enim ſacras & diuinas ſcripturas à Spiritu ſancto dictatas non credunt, & ita ſunt infideles: aut ſeipſos Spiritu ſancto ſapientiores eſſe dicunt, quod planè, quid aliud eſt, quàm tanquam dæmone exagitatos inſanire? Neque enim hanc inconſultam & imprudentem molitionem ſuam eſſe inficiari poterunt, quandoquidem illa exẽplaria ſua ipſorum manu eſſe tranſſcripta perſpicuè deprehenduntur.* Hæc apud Euſebium.

Theod. lib. 2. Hæret. fabul. Euſeb. lib. 5. Hiſt. Eccleſ. cap. vlt.

Sed vela contraho. nam actũ agere non vacat. De diſſenſionibus,

contra-

Digitized by Google

Vide miniſtromachiã Staniſlai Reſcii. libr. qui inſcribitur VVetterban. Motiua Marchionis Badenſis. Antilogias Lutheranorum editas à Staphylo Lutherum conſtantẽ M. Conradi.

contradictionibus, antilogiis, leuiſſima inconſtantia Lutheri & Lutheranorum, adeoq; omnium hæreticorum, integri libri latina & germanica lingua editi omnium manibus paſſim teruntur: vt & prolixi catalogi ſectarum ex vno Gaſtrone Luthero prognatarum, quæ inter ſe pugnant, non de ſtillicidiis, hoc eſt, de quæſtionibus leuiculis & liberis, ſiue in hanc ſiue in illam partem definiantur, ſed de ipſa religionis ſumma, quæ, vt opinionibus, ita & nominibus monſtroſæ ſunt; Omitto, aiebat olim S. Hieronymus, *Cataphrygas, Ophitas, Borboritas, & Manichæos;* omitto & ego Lutheranos, Caluinianos, Anabaptiſtas, Zwinglianos; *nota enim iam ſunt hæc humanæ calamitatis vocabula: Quis vnquam Paſſalorincitas* (Vbiquiſtas) *& Aſcodrobos* (Oſiandriſtas) *&* Artotyritas, (Flaccianiſtas) *& cætera magis portenta, quàm nomina in aliqua parte orbis Romani olim audiuit? Antiquæ,* (imo nouæ) *ſtultitiæ vſq; hodie non tantum manent veſtigia,* ſed ingentia plauſtra. Vix olim vſque ad S. Epiphanium, & S. Auguſtinum, qui hæreticorum indices confecère, tot & tam variæ hæreſes in vniuerſum perſeminatas inuenimus, quot ex ſola Lutheri ſchola & placitis & appellationibus diſſonantes intra octoginta annos prodierunt. Et tamen gloriatur Hunnius de ſua ſuorumq; conſenſione, quaſi ſumma concordia Lutheranæ ſynagogæ membra copulentur.

S. Hier. præfa. in lib. 2. comment. epiſt. ad Gal.

Sed dicat nobis Hunnius, cur ipſe & alij tot telis configere tentent Hueberum, eiuſq; aſſeclas, ſi nulla inter illos diſcordia, & quidem in grauiſſima diuinæ prouidẽtiæ, electionis & prædeſtinationis materia. Certè Hueberus Lutherum ſequitur; ſequuntur eundem Hueberiani. Et tamen velis remiſque vtrinq; res agitur, ſine vlla redintegrandæ pacis ſpe. An non ſunt illi Lutherani, qui Hunnium in argumento vbiquitatis ſeu omnipotentiæ *fraudulentum impoſtorem* eſſe ſcribunt? An non plurimi alij Lutherani, alios itidem Lutheranos ob eandem commentitiam maieſtatem deteſtantur, diriſque deuouent; niſi fortè vbiquitas non pertinet ad Lutheranæ & Brentianæ profeſſionis fundamenta; quod Hunnius nunquam affirmauerit, niſi à concordiæ libro diſcordare velit: vbi ergo cõcordia illa, quam buccis inflatis Hunnius hic decantat? Vbi illa ſuauiſſima Lutheranæ ſectæ Harmonia?

Theſ. 3.

Noſtræ Eccleſiæ, inquit Hunnius, *pium conſenſum colunt, ſecundum confeſſionem Auguſtanam, & concordiæ Chriſtianæ librum in omnem æternitatem inuictum:* Ipſe modus loquendi, quo & hic & alibi paſſim vteris, ſubindicat id, quod dicis, falſum eſſe: Si enim vnum eſtis, cur nunquam vnam, ſemper *plures Eccleſias veſtras* nominas? *Exagitant,* inqui,

quis *Pontificii noſtras Eccleſias:* cur non noſtram Eccleſiam, ſi vnum corpus eſt? Noſtræ Eccleſiæ colunt pium conſenſum, cur non *noſtra Eccleſia*, ſi vnum corpus eſt, non fruſtum in plura fruſta diſciſſum? Neſcio quid diuiſionis modus iſte loquendi oleat. Res communione vnum fiunt: ſi ergo inter vos eiuſdem doctrinæ communio intercedit, vnam oportet eſſe Eccleſiam, non plures. Quare & in ſymbolo *vnam* profitemur *Eccleſiam*, non plures; At mittamus modum loquendi diſcordiæ non obſcurum teſtem. Ais, *concordes eſſe, qui libro concordiæ ſubſcribant.* Excludis ergo à caſtris tuis Caluinianos, Zwinglianos, Anabaptiſtas, Swenckfeldianos, & alios, vt ais, *fanaticos.* Sed quinam illi, niſi Huoberus, Huoberiani, & plurimi Lutherani, qui dogma vbiquitatis meritiſſimò auerſantur, & cum auctoribus ſuis, eò vnde exſtitit, amandant. His ergo omnibus reiectis, concordatis inter vos; hoc eſt, qui concordiæ librum probant; illi inter ſe conſpirant. *Pauci enim numero cum ſint*, inquit S. Athanaſius de Arianis; *volunt tamen ſua præ omnibus valere, & quæ ab ipſis in angulis conflata ſunt, ac proinde ſuſpecta, rata eſſe, ſummam vim adhibentes, vt diſſoluant, & irritum faciant totius orbis ſedulum & ſyncerum Concilium* (Tridentinum) *& Thaliæ ſuæ* (Dalilæ Samſonicæ concordiæ) *fidem haberi volunt, qui ne ipſi ſciunt, quid credant.* *S. Athan. orat. 1. cõtra Arian.*

Quàm multi ex Concordiſtis reperiuntur qui concordiam probant, quia coguntur: Quàm multi, qui verbis, non mente. Quàm multi qui ſubſcripſerunt, ſubſcriptionem retractârunt. Certè tota ditio eius Principis Electoris, qui primas tenet in ſubſcriptionibus, iam dudum concordiæ veſtræ multam ſalutem dixit; quæ vixdum nata ex eiuſdem quoque Principis Prouincia & Academiis, multis, iiſq; vehementiſſimis & aculeatiſſimis ſpiculis oppugnata eſt. Et tamẽ concordia iſta ſtat *in omnem æternitatem inuicta*, ſi Hunnius non mentitur. Quantum Prædicãtibus ſudandum fuit, ne idem accideret iis in locis, quibus tu iam viam ad perniciem præis. Sed eſto; ſit concordia inter illos, qui concordiam adhuc ſequuntur. At quamdiu durabit iſta concordia? Quod S. Athanaſius de inconſtantiſſimis ſua in ſecta Arianis poſt vltimum ſymbolum ab ipſis publicatum, hoc ego de Concordiſtis. *Ne hic quidem, ſat ſcio, conſiſtere poterunt, quotquot nunc hypocriſin iſtam induerunt, ſed ſemper contra veritatem coniurationes inibunt, donec in ſe reuerſi, & culpam agnoſcentes, dicant; ſurgite, abeamus ad patres noſtros, & dicamus illis, anathemate deteſtamur Arianam* (Lutheranam) *hæreſin, agnoſcimus autem Nicænum* (Tridentinum) *Concilium, cum eo enim illis* *S. Athan de Syn. Arim. & Seleuciæ.*

hactenus omnis contentio eſt. *Non eſt pax impiis*, clamat propheta, multo minus hæreticis. Et ſi qua ſpecies pacis appareat; ea caduca eſt, & interitui proxima: quippe à Deo pacis non profecta. Nec mirum ſectam quampiam aliquandiu ſibi concordem & conſentientem eſſe, ſtatim enim interiret, ſi non aliqua ſaltem in aliquibus concordia remaneret. Concordiſtæ itaque hodie concordes ſunt, quemadmodum olim Donatiſtæ, vt hos ex multis nominem, qui conſentiebant; quamdiu conſentiebant. At non obſtante hoc cõſenſu in ſectas diſſecti ſunt, in *Maximianiſtas*, in *Rogatiſtas*, in *Parmenianiſtas*, & in neſcio quos alios. Idẽ eueniet iſtis Concordiſtis, ne iam eueniſſe dicam. Sicut .n. fieri nequit, naturæ vi & poteſtate, vt cadauer anima deſtitutum nõ putreſcat & diſſoluatur, ita fieri nequit, vt congregatio hæretica, ſpiritu ſancto orba, charitatis & concordiæ vinculo ſtabiliter copuletur & ſolidè coagmentetur. Quocirca ſi tanta ſit vt diuidi poſſit, diuidetur, ſi tam minuta ſit, vt in minutiores partes concidi nequeat, ipſa ſeipſam paulatim abſumet, & in ſua concordia concordiſſimè euaneſcet.

Nec tam vnitas, quæ eſt veræ Eccleſiæ nota, conſiſtit in *actuali*, vt ſic dicam, cõſenſione, quàm in idonea & appoſita ratione ad *actualem* conſenſionem retinendam, omneſque contentiones ſopiendas; cuiuſmodi cõcordiæ ratio in nullo hæretico cœtu eluceſcit, & omniũ minimè in Lutherano; nam vt eorum aliqua factio aliquandiu cõſentiat (quæ enim tam exilis, vel ẽt tam ſcelerata hominum collectio eſt, quæ aliquo ſaltem tempore concordiæ vinculo non colligetur) id inſuetum nõ eſt, quia hæreſis aut factio, ne conſtitui quidem poſſet, niſi factioſi initio inter ſe conſpirarent. Et ſi ne Dæmonis quidem regnũ conſiſtere valet ſine aliquali concordia: (ſi enim, iuxta Saluatoris verbum, *& Satanas in ſeipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnum eius?*) quomodo hæreſis vel exiguo temporis puncto duraret, niſi aliqua animorum coniunctione coagmentaretur? Cæterum vt conſenſum conſeruent, rixiſq; aut occurrant, ne excitentur, aut excitatis remedium opportunum adhibeant, id ſolius Catholicæ Eccleſiæ proprium eſt, & cũ nullo ſectariorũ cœtu commune; *Cùm enim*, vt Tertullianus ait, *hæreſes græca voce dictæ ſint ex interpretatione electionis, qua quis ex ſuo arbitrio inducit, quod lubet, aut eligit quod alius de arbitrio ſuo induxit*, neceſſe eſt, vt omnib. ampla eligendi & inducendi ſuppeditetur poteſtas. Cur .n. arbitrium vnius, qui, quæ voluit, elegit & induxit, præiudicet ac deroget arbitrio alterius, quominus ipſe ẽt eligat, mundoq; obtrudat, q̃ velit? Cur ad Hunniũ alligatus ſit Huoberus, vt non niſi quæ Hunnius

Tertull. de præſcript. cap. 6.

iubeat,

iubeat, amplecti & docere poſſit? Cur non gaudeat & fruatur ea libertate, qua gaudet & fruitur Hunnius? Cur non ea confidentia ſacras literas tradat & iactet, qua Hunnius? Cur qui non *triſaclisſenem*, ſed ſexdecim propemodum ſæculorũ Eccleſiam non audit, audiat Hunniũ Prædicantẽ verboſum & clamoſum, Herbrãdi ante paucos annos diſcipulũ? Cum igitur ingeniis curioſis gloriæq́;, ſi qua eſt in hæreſi gloria, auidis, apud hæreticos omnia repagula & retinacula dempta ſint, fieri non poteſt, vt concordia diu ſubſiſtat. Quilibet enim, qui paululum audacior eſt, indignè fert ſibi eorum iuſſa capeſſenda eſſe, quos eruditionis præſtãtia, aut reuerà, aut ſua certè opinione ſuperat. Hinc rixæ & diſcordiæ; hinc iurgia & odia implacabilia; teſtes Hunnius & Huoberus, Hunniani & Huoberiani; teſtes alii innumeri noui & antiqui ſectarii. Sed Hunnius noſter, cum quis ex collegis moleſtior eſt, expeditam ſe ab his moleſtiis expediendi rationem nouit. Homo, qui alioquin ſolam ſcripturã omnium controuerſiarũ iudicem pdicat, ab huius iudicis tribunali paulisper ad alios non paulò ὀφρασικωτέρες & efficaciores diuertit, & commiſſarios inter ſe & aduerſarios ſuos aduocat, non ignarus, ſecundum quam partem pronuncianda ſit ſententia. Tum expulſis Antagoniſtis rurſus ſcripturam tanquam omnium cõtrouerſiarum iudicem commendat & dilaudat; nihil ſollicitus, ſi facto deſtruat, quod verbo affirmat; quia Dædalus eſt, Labyrinthorum, intricationum & contradictionum architectus.

At fortaſſis Hunnius ſibi ſuiſq́; fratrib. iniuriam inferri conqueretur, eò quod à nobis diſcordiarum accuſantur. Ergo vt liberaliter tecum agam, fateor non modò vos Concordiſtas, ſed etiam omnes alios hæreticos, quotquot hodie vigent, concordes eſſe, ſed Dæmonũ more, in ſola malitia & nequitia. *Illud prorſus eſt admirabile*, inquit S. Athanaſius, *omnes quotquot ſunt hæreſes in fingendo diuerſa pugnantiaq́; inter ſe differre, nec alibi niſi in falſitate ſibi inuicem conſentire & copulari*. Ad quam concordiam reſpexit etiam Tertullianus, cum ait: *Nihil intereſſe hæreticis ilicet diuerſa tractantibus, dum ad vnius veritatis expugnationem conſpirent*. Vbi vides pariter & diſcordiam & concordiã; ſed in improbitate, niſi fortaſſis conſpiratio euertendi veritatem non ſit improbitas. Cæterum S. Athanaſius, qui paulò antea nominauerat hanc diuerſiſſimarũ hæreſewn cõcordiam *mirabilem*, mox conſiderato hæreſewn latore, negat eſſe mirãdam. *Neq́; id mirum eſt*, inquit, hæreticos cõſentire in malitia, *cũ vnũ habeant auctorẽ, qui ipſis vbilibet mẽdacia aſſeminat*.

Obiicit Hunius: *Sub Papatu Academias magnis contentionib. agitatas eſſe.*

S. Athan. orat. 1. cõtra Arian.

Tertul. de præſcr. cap. 41.

Theſ 5.

eſſe. Iterum aliena curas; tuorum oblitus. Fueruntnè vnquam vlla in catholica Academia inter catholicos Profeſſores talia diſſidia, qualia à tempore Lutheri in Academia Witebergenſi inter profeſſores Lutheranos, qui Lutherum, & communem illum præceptorem & Magiſtrum Melanchthonē ſe ſequi profitebantur? Incipe, obſecro, à Tragœdia Lutheri cum Carlſtadio, vſq; ad Tragicocomœdiam tuā cum Huobero, & vide, quot annos à grauiſſimis contentionibus Academia Witebergenſis quieuerit. Caue tranſilias illa tempora, quibus ex ipſa cathedra Lutheri & Melanchthonis, inceſſebatur pulchra illa tua Vbiquitas; & ita inceſſebatur, vt niſi aliunde Vulcanius Faber opis ferendæ cauſa accurriſſet, actum videri poſſet: Sed ſatis de hoc diſcordiæ veſtro argumento. Quia *de Lutheranæ Babylonis diſſenſionibus infinitis iuſtum volumen de integro conſcribi poſſet* (etſi iam non vnum ſed plura conſcripta ſunt) *Si liberet obſcuram illam horridámq; ſyluā totam ſuccidere*, & ex hiſtoriis demonſtrare, quomodo Prædicantes ipſi à ſe mutuo capitalibus odiis acerbiſſimè diſſenſerint, ſe inuicem excommunicârint, alii aliorum decreta cōtrariis decretis aboleuerint, conciliabula contrariis conciliabulis damnarint, ſi item placeret oſtēdere, quomodo Tomi Lutheri diſcordantium dogmatum pugnantia multiplici toti perſtrepant, ita vt omnes Prædicantes in concordandis iis ſudârint quidem, non tamen quidquam profecerint; ſi denique liberet commemorare Lutheranorum ſectas & digladiationes hoſtiles; ſimiliter & Academiarū ſub Hæreſi rixas: Sed vt ſupra profeſſi ſumus, actum agere nolumus; Et fronte adeo attrita ſunt Prædicantes, vt de obiectis contentionibus & diſſenſionibus vix amplius erubeſcant.

Illud præterire nequeo, quod vanus augur Hunnius auguratur librum concordiæ *in omnem æternitatem inuictum* fore. falleris ò vane vates, falleris, poſt aliquot, non dicam ſæcula, nimis longum eſt, ſed luſtra, non plus ſupererit de Concordia, quam ſuperſit hoc æuo de Thalia Arij, aut Epiſtola fundamenti Manichæorum. Iam vacillat, & labaſcit, vixq; pedibus conſiſtit, quomodo *æternitatem* feret? Sepelietur, & ſempiterna, ſi non obliuione, certè ignominia obruetur veſana hæc veſtra Concordia, vna cum Hæreſi, quam propinat, Lutherana; Si tamen Lutherana, dubito enim, num Lutherus ſubſcriberet, ſi ab inferis rediret. Longè ampliores, & tam auctoritate, quàm potētia ſectatorum potentiores Hæreſes funditus perierunt, quàm ſit vlla quæ noſtra tempora infamat. Cur his perennitatem contra morem & genium

genium ſectarum promittamus? *Vbi ſunt, qui olim Eccleſiam Dei oppugnarunt, Reges & potentes, atque huius ſæculi ſapientes? Nonne diſperſi ſunt & perierunt, redactique ſunt in nihilum? Vbi ſuperbia, & audacia, atque rebellio Iudæorum? Vbi Simon Magus in hæreſi primus diſcipulus & præcurſor Antichriſti? Vbi malus huius fœtus, & eius inſania, atque laſciuiæ ſucceſſor Montanus? Vbi Marcion? Vbi Valentinus? Vbi Manes? Vbi Baſilides? Vbi iam Nero? Vbi Valens? Vbi alij Reges atque potentes? Vbi Iulianus Apoſtata? Vbi porrò Arius? Vbi Eunomius & reliqui hæreſiarchæ? Vbi cuncti qui reſtiterunt veritati? Nonne omnes perierunt? Diſperſi quippe ſunt propter ipſorum blaſphemiam: & abacti ſunt veluti lupi rapaces.* *S. Chryſoſt. ſerm. de Pſeudoproph. & Hæret. Extlat Tom. 3 operũ S. Ephram.*

In eandem ſententiam pulcherrimè S. Auguſtinus. *Non vos terreant, fratres, quidam fluuij qui dicuntur torrentes, hyemalibus aquis implentur, nolite timere, poſt paululum tranſit, decurrit aqua; ad tempus perſtrepit, mox ceſſabit, diu ſtare non poſſunt. Multæ Hæreſes iam emortuæ ſunt, cucurrerunt in riuis ſuis quantum potuerunt, decurrerunt, ſiccati ſunt riui, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerint; ſpernentur tanquam aqua decurrens. Sed non ſolùm ipſi, totum hoc ſæculum perſtrepit, & quærit quem trahat; omnes impij, omnes ſuperbi, ſonantes ad ſaxa ſuperbiæ ſuæ, quaſi aquis irruentibus; non vos terreant, hyemales aquæ ſunt; ſemper manare non poſſunt; neceſſe eſt vt decurrant; neceſſe defluant in locum ſuum, in finem ſuum.* *S. Auguſt. in Pſal. 57.* *Sic ſic neceſſe eſt*, inquit alibi idem S. Pater, *vt minutatim ſecti conſciſſique; diſpereant, qui tumorem animoſitatis ſuæ catholicæ pacis ſanctiſſimo vinculo prætulerunt.* *S. Auguſt. lib. 1. contra Parmen cap. 5.* Sed nunc Labyrinthum ipſum ingrediamur cum Dædalo, à quo nihil eſt, cur exeundi cauſſa veritatis filum petamus; Abſterret enim me tritum illud: *quod quis non habet, non poteſt dare:* citiùs aquam à pumice, quam ab hoc Labyrinthi & mendaciorum opifice veritatis regulam impetrauero.

CAPVT

CAPVT II.

De ſacra Scriptura.

Theſ. 8.

INITIO, vt prudens architectus, fundamenta Labyrinthi ſui iacit Dædalus. *Nos, inquit, ſequimur Canonem Hebræum in recenſendis canonicæ ſcripturæ libris; quoad vetus teſtamentum.* Nil ab ingenio tuo alienum facis, ſi ſynagogæ potius, quàm Chriſtianæ Eccleſiæ auctoritate nitaris. Cum enim cathedra Moyſis adhuc duret, vt publicè in Colloquio Ratisbonenſi aſſeruiſti, cõuenienter opinioni tuæ facis, ſi Iudęos potius ex demortua cathedra Moyſis docentes, quã Chriſtianos ex cathedra Petri concionantes audias, præſertim cum cathedræ Petri authoritatem nõ agnoſcas. Sed caue ne, vt tu *Caluinum Iudaizantem* publicaſti, ita alius *Hunnium Iudaizantem* meditetur, probeq; limatum, & exaſciatum in theatrum inducat, non minore plauſu, quam tu tuum Iudaizantem Caluinum. Sed ne Iudaicum canonem ſola Iudæorum teſtificatione ductus approbare videaris, argumenta aliunde depromis: quorũ primum eſt iſtud. *Apoſtolus Paulus canonem Hebræum approbauit, ergo iure etiam à me approbatur.* probatur antecedens. Quia dixit, *Iudæis eſſe credita τὰ λόγια τοῦ θεοῦ.* Rom. 3. *ergo non ſunt plures apud Hebræos libri Canonici, quàm literæ Alphabeti Hebraici: aut,* ſi admodum liberales eſſe velimus, *viginti quatuor,* abiunctis duobus ab illorum corpore, cum quibus vnum volumen reputabantur.

Secundum argumentum. *Chriſtus & Apoſtoli approbarunt Canonem Hebræum, ergo etiã à me approbandus eſt.* probatur antecedens. *Quia tantum citant libros, qui ſunt in Canone Hebræo: reliquos prætereunt.* Hęc ſunt Labyrinthi Hunniani fundamenta, quod attinet ad libros veteris Teſtamenti; quæ euertere facilis eſt labor: Ad primũ reſpondeo, Apoſtolum Paulũ procul dubio approbaſſe canonẽ Hebræum, ſed non ideo (quod Hunnius facit) improbaſſe canonẽ Eccleſiæ; qui plures libros continet. Neq; enim neceſſe eſt, vt qui probat priorẽ, repudiet poſteriorẽ, cum per hunc prior ille integretur, omnibuſq; ſuis numeris perficiatur

ficiatur & compleatur, niſi quis, vt Hunnius, malit eſſe Iudæus, quam Chriſtianus, potiuſq; Rabinos audiendos, quàm Doctores Chriſtianos arbitretur. Sed lepida eſt argumenti huius probatio. Quid enim ad certũ definitumq; librorũ Canonicorum numerũ ſententia illa S. Pauli, que dicit, *Iudæis eloquia Dei eſſe credita?* An verba hæc excludunt à canone Hebræo librũ Thobiæ, Iudith, Sapientiæ, Eccleſiaſticum, & Macchabęos? An ſi aliunde nihil nobis conſtaret de Hebręo canone, ex hac Paulina ſententia certi quidquam de numero librorum Canonicorum iuxta Hebræos colligere & concludere poſſemus? Præterea vnde probas τὰ λόγια τοῦ θεοῦ, *eloquia Dei*, tantũ dici illa, quæ literarum monumentis conſignata ſunt? An Dei eloquiũ non erit, quod ſcriptis non mandatur? Agnoſcamus igitur hic in veſtibulo huius Labyrinthi ingeniũ artificis quiduis ex quouis maximo verborum ſonitu inferre conſueti.

Sed quęrere lubet ex Labyrintheo prædicante, vnde compertũ habeat, quinam determinate libri in Canone Hebræo, tempore Chriſti, fuerint. Hoc profecto ex ipſa ſcriptura non nouit. Vnde igitur? An ex teſtificatione veterum? Atqui veteres inter ſe non conueniunt de ſingulis in indiuiduo libris. Scimus quos Origenes apud Euſebium, Patreſque nonnulli Origenem ſecuti in Hebræo Canone collocent. At vnde Canonem hunc acceperunt niſi à Iudæis ſui æui; qui quam veri retinentes & amantes fuerint, teſtantur Thalmudicæ fabulæ, quæ ipſam quoque Iobi ſacroſanctam hiſtoriam ex claſſe ſacrorum librorum exterminant, & veteres Iudæi vix manus abſtinuerunt ab Eccleſiaſte, vt docet ſanctus Hieronymus. Abſque enim vltimo capite fuiſſet; ſtationem Eccleſiaſtæ inter ſacros ſcriptores minimè aſſignaſſent. Deinde à Canone Hebręo excludunt multi ex ſcriptoribus librum Eſter, quod clarũ ex Melitone apud Euſebium, Athanaſio in ſynopſi; Nazianzeno in carmine de genuinis ſcripturis. Leontio de ſectis. Amphilochio in Iambis ad Seleucum, Iſidoro, & denique ex Iunilio Africano. Librum Sapientiæ ponit in Canone Melito. Baruch vero, vel ſaltem Epiſtolam Hieremiæ Origenes apud Euſebium, Sanctus Hilarius, Cyrillus Hieroſolymitanus, Athanaſius in Synopſi, & alij. Conueniunt quidem Patres quod apud Hebræos ſint libri 22. aut 24. atqui nam iſti ſint, non conueniunt. Nec difficile erit volenti rationem inire; qua omnes controuerſos libros in Canone comprænhendat; nec tamen vigeſimum ſecundum aut quartum numerum excedat. Legis nomine citat Eccleſiaſticum Ioſephus, vt ex Gręco textu perſpi-

Euſeb. lib. 6. cap. 19.

S. Hier. in cap. 12. Eccleſ.

Euſeb. lib. 4. cap. 26.

Leont. Act. 2.

Iſid. li. 6. Orig. cap. 2.

Iunil lib. 1. de partibus diuinæ legis cap. 3.

Euſeb. lib. 6. cap. 19.

S. Hilar. Prolog. in Pſal.

S. Cyrill. catech. 4.

Ioſeph. lib. 1. cõtra Appion.

Digitized by Google

perſpicuum euadit. Cum ergo tot ſint & tam diſcrepantes ſententiæ veterum de libris Hebræorum canone comprehenſis: certi nihil hac de re conſtitui poteſt: niſi quis, huius Prædicantis ritu, ea tanquam certa obtrudere velit: quæ ipſe nulla firma ratione nixus certa eſſe ſtatuit.

Ad ſecundum argumentũ eadem reſponſio danda eſt. Nam Chriſtus & Apoſtoli probant canonem Hebræum, ſed non improbant canonem Eccleſiæ. Imo Eccleſiaſtici canonis auctores extiterunt. *Citarunt*, inquis, *ſolas ſcripturas Canonis Hebræi, ergo cæteras repudiarunt.* Vt verum eſſet antecedens: Conſecutio tamen nil valeret: non enim ſequitur, librum aliquem ab aliquo reiici, ideo tantum, quia nõ citatur. Fieri namq; poteſt, vt ratione argumenti, quod quis propoſitum habet, non ſuppetat occaſio citandi; quod etiam propter auditores vſuuenire poteſt. Si enim Chriſtus & Apoſtoli diſputantes cum Iudæis, parum interdum efficiebant adducendis teſtimoniis ex illis voluminibus, quorum auctoritas apud Iudæos in confeſſo erat, quanto minus effeciſſent, ſi libros à ſynagoga non receptos teſtimonij gratia produxiſſent.

Præterea, ſi nulli libri ſunt de Canone Hebræo, niſi quos Chriſtus & Apoſtoli citant, ſequitur libros Eſdræ, non eſſe de Hebræo canone, vbi enim citantur à Chriſto aut Apoſtolis? Multi etiam ex Prophetis in canone Hebræo non erunt, quippe quorum nulla mentio à Chriſto aut Apoſtolis fiat. Adhæc cùm nihil credas, credendumúe arbitreris, niſi quod aut in ſcriptura expreſsè continetur, aut ex ſcriptura, per legitimam conſequentiam deducitur, mirari ſubit, quomodo viginti duos libros Hebraici canonis credas, cum id nec in ſcriptura diſertis verbis contineatur, nec inde etiam per bonam conſecutionem deduci poſſit: aut ſi res ſecus habet, agedum proba, aut euidenter deduc ex ſcriptura, nec plures nec pauciores eſſe libros de Hebræo canone, quam viginti duos, & quidem definitè illos, quos S. Hieronymus in prologo Galeato commemorat. Sed benè habet: conceſſiſti in colloquio Ratiſponenſi contra tuæ ſectæ prima principia, hæc aliunde ſciri non poſſe, quam ex traditione, ſynagogæ quidem, dum ſynagoga durabat, iam autem Eccleſiæ; vt nos quidem Chriſtiani exiſtimamus; quidquid tu Iudaizans de Synagoga, eiuſq; cathedra adhuc ſuperſtite blateres. Interim tamen traditionem admiſiſti, in quo tuam tecum conſenſionem commendo; & iam nunc egregium Labyrinthi fabricatorem magis atq; magis cognoſco.

Sed

Sed explica, oro, cur in acceptandis antiqui teſtamenti libris potius ſequi velis ſynagogam, quàm Eccleſiam. An fide dignior tibi videtur ſynagoga, quàm Eccleſia? Vereor ne verpo progenitus ſis, ſi ita ſentis. Longè tibi, vt video, mens eſt alia, quam S. Auguſtino, qui de libris Canonicis antiqui teſtamenti diſſerens, nullam Iudæorum, ſed Eccleſiæ Chriſtianæ rationem ducit: ait enim, libros Macchabæorum non *à Iudæis, ſed ab Eccleſia pro Canonicis haberi.* Et alibi totum ſcripturæ Canonem non ad Iudæorum, ſed ad Eccleſiæ præſcriptum componit, & percenſet. Ille idem etiam in Concilio Carthaginenſi cum collegis ſuis, non quid Iudæi, ſed quid Chriſti Eccleſia de Canone ſentiret, exponit. Et ipſe S. Hieronymus, licet exiſtimaret librum Iudith ab Hebræo Canone exulare, Eccleſiæ tamen aliud fuiſſe iudicium, publiceq; in Concilio Nicæno teſtatum ſancitumque, probè ſciuit, & quod ſciebat, in literas retulit, vt taceam alios, qui magno numero & conſenſu libros ab Hebręo canone excluſos, tanquam Canonis Eccleſiaſtici partes ſuſpexerunt, & ſuſceperunt. Neq; enim id iam agimus, vt hæc omnia accurratè confirmemus, cum nihil aliud nobis ſit propoſitum, quàm vt Hunnianas nænias refellamus.

S. Aug lib 18. de ciuit. Dei cap. 36.
Lib. 2 de doct. Chriſt cap 8.
Concil. Carth. III. can. 47.
S. Hier. præf. in lib Iudith.
Theſ. 9.

In recenſendis, inquis, *noui Teſtamenti libris, ſequimur eruditam vetuſtatem, & in hac beatum Hieronymum.* Rurſus contradictionibus ſeſe *implicat, confundit* & *iugulat* Hunnius; nam qui ſolam & vnicam ſcripturam omnium controuerſiarum iudicem eſſe ait, is relicta iam ſcriptura, alium Iudicem ſibi deligit, nempe antiquitatem, & in hac beatum Hieronymum. Quid tibi cum antiquitatis & S. Hieronymi iudicio, ſi ex ſola ſcriptura, vt alibi paſſim vociferaris, omnium controuerſiarum definitio petenda eſt? Aut igitur controuerſia de numero Canonicorum librorum noui Teſtamenti ad fidem non pertinet, quod vt impudens ſis, nunquam tamen affirmabis, aut tu dogma tuum ore tuo euertis, cum præter vnum illum iudicem alium adſciſcis.

Contradictioni addit Hunnius mendacium & imperitiam, niſi mauis fraudem & impoſturam; cùm ait, *ſe ſuoſque in recenſendis noui Teſtamenti Canonicis libris ſequi B. Hieronymum, in ſuis prologis, Galeato præſertim, & ſuper librum Prouerbiorum.* Vbi B. Hieronymus vel vllum verbum habet de libris Canonicis noui Teſtamenti in eo prologo, qui vulgo *Galeatus* appellatur? vbi vel vnum verbum de iiſdem libris Canonicis noui Teſtamenti in præfatione, quæ prouerbiis Salomonis præponitur? Aut igitur hic, Hunni, inſcitiam, aut fraudem

& impoſturam , aut mendacium , aut pariter hæc omnia fatearis oportet, cum S. Hieronymum teſtem laudas iis locis, vbi pro te nihil dicit. Nec hoc mendacio contentus, alia adiungis, quorum primum. cum ais: *vos, in recenſendis libris Canonicis noui Teſtamenti, antiquitatem ſequi, & in hac B. Hieronymum.* Si antiquitatem ſequimini, cur libros noui Teſtamenti, prout à S. Auguſtino, & à Concilio Carthaginenſi recenſentur, non recipitis? An non ſat antiquus ſanctus Auguſtinus? an non ſatis antiquum Concilium Carthaginenſe? An non ſat veteres alij plurimi, qui omnes libros noui Teſtamenti, prout à Concilio Tridentino enumerantur, pro Canonicis & diuinis habuerunt? Si S. Hieronymum ſequimini, cur Lutherus, Brentius, Kemnitius Centuriatores repudiant Epiſtolam ſancti Iacobi, & Iudæ; cur de duabus S. Ioannis, de poſteriore S. Petri hæſitant, ancipiteſque fluctuant, num in album diuinarum ſcripturarum recipi mereantur? An hoc fecit S. Hieronymus? An non in Epiſtola ad Paulinum omnes iſtas Epiſtolas ſine vlla ambiguitate, tanquam à S. Spiritu profectas & dictatas, admittit? Aut igitur hoc itidem loco Hunnius mentitur, cum ſe ſuoſque cum S. Hieronymo ſentire ſcribit, aut Magiſtris & Doctoribus ſuis, Luthero, Kemnitio, Centuriatoribus, contradicit, ſi cum Hieronymo ſentit, à quo ipſos diſſenſiſſe palam eſt.

Bell. lib. 1. de verbo Dei. cap. 18.

Alterum mendacium eſt, cùm ſcribit: *S. Hieronymum ipſo iure Pontificio atteſtante, fuiſſe huius rei, hoc eſt, Canonicorum noui Teſtamenti æſtimatorem accuratiſſimum, & dexterrimum.* Non nego, hanc laudem S. Hieronymo iure tribui poſſe: ſed nego, hoc elogium à Iure Canonico S. Hieronymo tribui, ac proinde Hunnium quando hoc aſſeuerat, mentiri affirmo: Nomina locum; vbi hac laude ius Canonicum S. Hieronymum afficiat. Tu citas Can. *Sancta Romana* d. 16. vbi imprimis error, ſeu Hunnij ſeu librarij, diſtinctionem 16. pro 15. citantis. Deinde volui & reuolui ſæpius prædictum Canonem, *Sancta Romana*: nihil eius, quod tu comminiſceris, apparet: Initio hæc leguntur. *Sancta Romana Eccleſia poſt illas veteris teſtamenti & noui ſcripturas, quas regulariter ſuſcipimus, etiam has ſuſcipi non prohibet; ſanctam ſynodum Nicænam CCCXVIII. patrum &c.* Vbi nihil de ſancto Hieronymo. Infra probat canon opuſcula S. Hieronymi. paulò pòſt; Vitas Patrum, Pauli, Antonij, Hilarionis à S. Hieronymo conſcriptas. Tandem monumenta Ruffini, *quæ S. Hieronymus non reprehendit, & Origenis, quæ idem ſanctus Pater non repudiat.* Vbi illud tuum Encomium de accuratiſſimo & dexterrimo librorum Canonicorum noui Teſtamenti

menti æſtimatore? Ad hæc cur tui Magiſtri Lutherus, Kemnitius, Centuriatores diſſentiunt ab accuratiſſimo & dexterrimo Canonicorum librorum æſtimatore? An accuratiores & dexteriores ipſi ſunt, quàm accuratiſſimus & dexterrimus? Cur tu ipſe à S. Hieronymo diſſentis? Nam quicquid verbis præferas, illud tantum efficis, vt aut diſſentias ſimul & mentiaris, aut ſi nec diſſentis, nec mentiris, Doctoribus tuis aduerſa fronte contradicas.

Diſſentit, inquis, *à nobis, Concilium Tridentinum.* Grande piaculum, ſi orbis terrarum Concilium diſſentiat à conciliabulo malignantium. Grande piaculum, ſi Synodus orthodoxa diſſentiat à ſynagoga Hæretica, eoſque libros in Canonem admittat, quos ſectariorum licentia inde exterminat, quod non fit *Prætoria,* vt tu calumniaris, ſed poteſtate diuinitus Eccleſiæ conceſſa; niſi fortè Apoſtoli quoque ex *Prætoria* poteſtate illud protulerint: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.* *Recipit,* inquis, *Concilium Tridentinum libros nonnullos, quos Canonicos eſſe negant Patres Apoſtolorum temporibus vicini.* At qui nam ſunt iſti Patres? Quinam iſti libri? cur nomina taces? Scio dubitatum fuiſſe de libris nonnullis à nonnullis, num Canonici eſſent. At aliud eſt dubitare, num liber ſit Canonicus, aliud tanquam non Canonicum repudiare. Vt aliqui veteres ſcriptores de aliquorum librorum auctoritate dubitârint, vt nonnulli item, licet pauciſſimi, aliquos verè Canonicos libros reiecerint, quid hoc ad vniuerſam Eccleſiam, quæ pauculis iſtis vel ambigentibus, vel apertè negantibus auctoritate longè præſtat; quippe columna & firmamentum veritatis. Secundo, ſi ideo ab Eccleſia in Canonem recipi nequit liber, quia aliquando à quibuſdam de eius auctoritate dubitatum eſt, aut quia disertè tanquam non Canonicus repudiatus eſt, cur recipis Apocalypſin, quam Canonicam eſſe abnuit Caius ſcriptor vetuſtiſſimus apud Euſebium? Cur recipis Epiſtolam ad Hebræos, cur S. Iacobi? cur alteram ſancti Petri, cur denique alios libros, parteſq; librorum, cum de eorum auctoritate num diuina ſit, non exigua apud nonnullos dubitatio olim exſtiterit. Nec mireris me ita loqui. Ais enim, *te tuoſque, in Canone noui Teſtamenti ſequi B. Hieronymum.* Si hunc ſequeris, oportet vtique, vt libros illos recipias, quorum auctoritas apud quoſdam olim dubia, aut etiam penitus nulla fuit, quia ſanctus Hieronymus hos libros recipit. Si igitur tu iure optimo Canonica auctoritate dignaris huiuſmodi olim dubios & ſuſpectos libros, cur id non liceat Eccleſiæ, cum in aliis Conciliis, tum nouiſſimè in Tridentino legitimè

Theſ. 16.

Act. 15.

 congre-

Digitized by Google

congregatæ, eo fine, vt tam huic de canonicis libris, quàm aliis fidei controuerſiis finem imponeret. Cur quod tibi das laudi, reprehendis in Concilio Tridentino? Noua igitur contradictione tuum Labyrinthum, ne ruat, fulcis, dum illud ipſum, quod in Concilio Tridentino improbas, in te probas, tuiſque rationibus tuas itidem aſſertiones proſternis.

Theſ. 12. *Diſſentit*, inquis, *Concilium à iure Pontificio, aſſerente, loco iam allegato, ſe idem ſentire, quod cognoſcat B. Hieronymum ſentire.* Non diſſentit Concilium à ſancto Hieronymo in libris Canonicis noui teſtamenti, non enim alios approbat Concilium, quàm quos approbat S. Hieronymus. diſſentit Concilium, fateor, à ſancto Hieronymo, in Canone librorum veteris Teſtamenti, quia in hoc ſolos libros, quos Iudæis Canonicos exiſtimabat, repoſuit S. Hieronymus. Sed non diſſentit Concilium à S. Auguſtino, non diſſentit à Concilio Carthaginenſi; non diſſentit ab vllis aliis, qui circa hanc de numero librorum Canonicorum veteris Teſtamenti quæſtionem rectius vel potius perfectius iudicium tulerunt. Denique, quod caput eſt, non diſſentit ab ipſa veritate. Cui autem potius aures præbendæ? Hieronymo, an illi Eccleſiæ, cui ſe & omnia ſua ſcripta & dicta Hieronymus ſubiiciebat? qui libros nonnullos veteris Teſtamenti à Canone exclusit tunc, cum vtrum Canonici eſſent, nondum, vt loquitur S. Auguſtinus, *eliquatiſsimâ perſpectione diſcuſſum eſſet.* Etſi librum Iudith in Canonem Eccleſiæ Chriſtianæ admiſit, quia ſciebat à Concilio Niceno receptum eſſe. Quod ſi S. Hieronymus Concilij alicuius Oecumenici, & vt S. Auguſtinus appellat, *plenarij*, definitionem vidiſſet, qua in Canonem Eccleſię recepti fuiſſent omnes libri, qui à Concilio Carthaginenſi, & à Tridentino recepti ſunt, non dubium, quin manibus pedibuſq; in eandem ſententiam cõceſſiſſet, quippe Eccleſiaſticarum ſanctionum & decretorum tenaciſſimus & obſeruantiſſimus. Quod ſi tanto ſtudio imitandi Hieronymi teneris in recenſendis libris Canonicis veteris teſtamenti, cur nõ ſequeris eundẽ Hieronymũ, qui librũ Iudith ob cõcilij Nicęni conſtitutionẽ in ſanctarũ ſcripturarũ numero cõputat? An in Hieronymi veſtigiis tua veſtigia ponis, quando, & quãdiu, & vbi lubet? & ideo aliud putas falſum, q̃a contra te; aliud verum, q̃a pro te, & pro tuo Labyrintho ſonat? At S. Hieron. inquies, in prologo *Galeato* apocryphos vocat omnes illos libros, qui extra Canonẽ Iudaicũ reperiuntur. Sed quid ſi S. Hieronymus eo loco non ſcripſit *Apocryphum*, ſed hagiographũ, ꝙ quis non iniuria ſuſpicetur; fortaſſis

S. Auguſt. lib. 3. contra Donatiſt. cap. 3.

non.

non ignoras. Nec deeſt argumentũ. Alibi enim libros Iudith & Thobiæ hagiographa Hebrǽis fuiſſe memorat: non potuit igitur alibi ſcribere, niſi tuo more ſibi contradicere vellet, libros iſtos ab Hebræis Apocryphorum claſſi accenſitos fuiſſe; aut ſi hoc nomine vſus eſt, latiore ſignificatione eo vſus eſt; prout Apocryphum omne illud Hebræis dicebatur, & etiamnum dici poteſt, quod extra diuinæ ſcripturæ canonem ponitur: ſicut etiam alibi ampliore ſignificatu accepit vocem *hagiographa*, quàm in prologo *Galeato*. Cæterum hæc Apocryphi ratio, non impedit quominus liber verè ſit à ſancto Spiritu profectus, idque poſteris temporibus nobis per Eccleſiam innoteſcat. Hac notione Thobias, Iudith, Eccleſiaſticus, Macchabæi cenſebuntur apocryphi, quia apud Iudæos non erant in diuinarum ſcripturarum Canone, & tamen reuerà æquè erant à parte rei diuinitus traditæ & dictatæ ſcripturæ, ac Pentateuchus, aut libri Regum; quod poſtea per infallibilem Eccleſiæ declarationem fidelibus patefactum eſt. *S Hier. præfat. in Iudith. & præfat. in Iob.*

Verùm vt ad inſtitutum reuertar: Ius Canonicum non probat ſententiam S. Hieronymi circa numerum librorum Canonicorum, & ſic Concilium diſſentiens à S. Hieronymo, non diſſentit à iure Canonico. Vbi enim aſſerit ius Pontificium ſe non plures libros veteris Teſtamenti in Canonem recipere, quam receperit S. Hieronymus? Tu, tuique Magiſtri id euincere vultis ex his verbis: *Can. S. Romana. Illa ſentimus, quæ prædictum beatum Hieronymum ſentire cognoſcimus, & non ſolum de Ruffino, ſed etiam de vniuerſis, quos vir ſæpius memoratus Zelo Dei & fidei religione reprehendit*, vbi tu per verba illa, *de vniuerſis*, intelligis, vniuerſos libros, quos S. Hieronymus non recipit, non recipi item à iure Canonico. Ad hanc obiectionem reſpondet Bellarminus; Gelaſium in illo Canone loqui, de libris Doctorum, vt Origenis, Ruffini, & ſimilium, non de libris Canonicis. Hanc reſponſionem veriſſimam eſſe libenter fatebitur, quiſquis verba & ſcopum Canonis vel obiter conſiderauerit. Nam cum Pontifex generatim de ſacra ſcriptura, & in ſpecie de quatuor primis Conciliis Oecumenicis egiſſet, hæc ſubdit. *Iam nunc ſubiiciendum eſt de opuſculis ſanctorum Patrum*: cumque progreſſu orationis, Ruffini mentione facta, dixiſſet, Ruffinum in nonnullis à S. Hieronymo fuiſſe reprehenſum, ſubdit; *Eccleſiam Romanam illa ſentire, quæ ſentit S. Hieronymus, & illa repudiare; quæ in Ruffino repudiat Hieronymus; repudiare etiam illa, quæ in aliis ſcriptoribus & tractatoribus idem ſanctus pater reprehendit*: Quid hoc ad numerum librorum Canonicorum? *Bellar. lib. 1. de verbo Dei*

Digitized by Google

Dices, Pontificium ius approbat omnia opuſcula S. Hieronymi, ergo etiam hanc de canonicorum librorum numero ſententiam. Hāc conſecutionem vt elidam, aliam formo huic gemellam, imò rationi longè magis cōſentaneam, quàm priorem. Ius Pontificium approbat opuſcula beati Auguſtini, ergo ēt ſententiam illius de numero librorū canonicorum, q̄ non eſt alia, q̄ illa à patribus Tridentinis tradita. Item ius canonicum approbat cōcilia, ſi qua à ſanctis patribus præter quatuor illa celeberrima, ſunt inſtituta, ergo ēt approbat canonem librorum diuinorū à concilio Tridentino traditum; quia hunc concilium Carthaginenſe à iure Pontificio approbatum probat; ſi dicas non valere has meas conſequentias; ego iure longè meliori dicam, non valere tuas: Neq; .n. Pontifex eo ipſo quod alicuius Doctoris opuſculum approbat, omnia & ſingula, quæ in eo continentur, approbat, niſi hoc ſpeciatim exprimāt; vt fecit in epiſtola S. Leonis ad Flauianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, de qua ait: *Cuius textum quiſpiam, ſi vſq; ad vnum iota diſputauerit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema ſit*: alioquin approbando lucubrationes S. Cypriani, approbaſſe etiam cenſeretur opinionē illam S. Cypriani de hæreticis rebaptizandis; quod nemo dixerit, niſi Hunnianus aliquis Dædalus, pro mendaciorum & antilogiarum Labyrintho quiduis comportare ſolitus.

Aliunde ergò oportet, vt inquiramus, quantum valeant huiuſmodi conſecutiones, quas quiuis formare poteſt, ſi nugari velit. Canonis, *ſancta Romana,* auctor & conditor & B. Gelaſius Pontifex. Eſt namq; pars decreti de libris probatæ & damnatæ lectionis, quod Gelaſius in concilio cum ſeptuaginta Epiſcopis edidit; pars inquam, quia Gratianus nonnulla breuitatis cauſa ſilentio præteriit, ducto initio ab illis verbis Gelaſii: *Sancta Romana Eccleſia poſt illas veteris, vel noui,* (vt eſt in edit. Conciliorum) vel (vt habet Gratianus) *& noui Teſtamenti, quas regulariter ſuſcepimus,* (Gratian. ſuſcipimus) *etiam has ſuſcipi non prohibet ſcripturas, id eſt, ſanctam ſynodum Nicænam, &c.* Hæc Pontifex: quæ verba Gratianus, ſeu ius Pontificium aliter non intelligit, quàm intellecta ſunt ab auctore Gelaſio, ac proinde nec alias veteris & noui Teſtamenti ſcripturas recipit, quā recepit Gelaſius. Quas autem recepit Gelaſius? Eaſdem nimirum, quas concilium Tridentinum. Id liquet ex decreto, quod de libris canonicis in eodem concilio Romano Gelaſius cum 70. Epiſcopis promulgauit. Extat hoc decretum & quidem geminū apud Burchardū, Iuonem, Iouerium, & To-

Burch. lib 3. ca. 217. 218. 220.

Digitized by Google

mo 1. Conciliorum; prioris hæc eſt inſcriptio: *Ordo librorum veteris Teſtamenti, quem ſancta & catholica Romana ſuſcipit, & veneratur Eccleſia, digeſtus à Gelaſio Papa cum ſeptuaginta Epiſcopis.* Poſterioris hæc eſt epigraphe. *Item ordo ſcripturarum noui & æterni Teſtamenti.* In poſteriore ponuntur omnes illi libri noui Teſtamenti, qui enumerantur à Concilio Tridentino: in priore omnes illi, quos S. Hieronymus à canone excludit. Vt liber ſapientiæ, Eccleſiaſticus, Thobias, Iudith, Macchabæi, niſi quod vnus duntaxat Macchabæorũ nominatur, ſicut & vnus Eſdræ: nam vt olim primus & ſecundus Eſdræ pro vno libro habebãtur, vt patet ex procemio S. Hieronymi in Eſdram; ita ẽt primus & ſecundus Macchabæorum pro vno libro reputabantur. Apud Burchardum tamen duos Macchabæorum libros in hoc ipſo decreto legimus. Baruch expreſſè quidem non ponitur, verùm ſub Hieremiæ nomine comprehenditur, cuius prophetia illa appendix eſt, qua de cauſa ab Auguſtino quoq; Baruch nominatim non eſt expreſſus. *Iuo. p 4. ca. 64. Iouerius in collectione decretorum.*

I nunc, Hunni, & diſſonantiam Concilii Tridentini cum iure Pontificio ſolitis buccis crepa & increpa, & pro labyrintho tuo non modo contradictionum, ſed & mendaciorum inania plauſtra congrega. Etiam ipſum Gelaſii decretum, prout à Gratiano recitatur ab hac tua imperita proteruia te auocare poterat, ſi attentior eſſes ad veritatem, quam ad criminationem. In Canone enim, *Romana Eccleſia,* poſtquam omnia de authenticis & apocryphis ſcriptis Pontifex abſoluerat; ſubiungit indicem librorum canonicorum, qui in diuinis & Eccleſiaſticis officiis totius anni decurſu legi ſolent: Nonne inter ſacræ ſcripturæ libros, qui ſtatis diebus leguntur, numerat quoque Thobiam; librum, ſeu, vt Iuo habet, libros Macchabæorum, &, vt apud eundem Iuonem eſt, Iudith? Item libros Salomonis, hoc eſt, non tantum parabolas, Eccleſiaſten, Cantica canticorum, ſed & librum Sapientiæ & Eccleſiaſticum, nam & iſti certis anni temporibus, in diuinis officiis legi conſueuerunt. Sed ſatis de hac ſeu fallacia ſeu ignorantia Hunnii.

Qui vt decretum Concilii Tridentini eleuet, opponit Lyranum, Carthuſianum, Hugonem Cardinalem, Caietanum, Benedictũ Ariã, Driedonẽ, Sixtũ Senenſem, quaſi aliter ſenſerint de libris Canonicis, q̃ conciliũ Tridentinũ ſtatuat. Reſpondeo 1. vt maximè iſti contrarium ſenſiſſent, & aliquos libros, quos vt canonicos probat conciliũ Tridẽtinũ, ex canone eieciſſent, nemo tamẽ non videt, concilii Oecumenici grauiorem eſſe autoritatẽ, maiuſq; ad perſuadendũ pond', quam ſex, *Theſ. 11.*

ſeptem-

ſeptemve priuatorum Doctorum priuatam ſententiam. Secundo reſpondeo quatuor priores vixiſſe ante Concilium Tridentinum, ac proinde non adeò mirandum eſſe, ſi ad veterum patrum & Conciliorum lectionem non admodum attenti, id, quod interpretãdo ſcripturas veteris Teſtamenti in Prologis ſancti Hieronymi, qui ſingulis Bibliorum voluminibus præfiguntur, reperiebant, bona fide amplectebantur, præſertim cum quæſtio hæc necdum *eliquatiſſima perſpectione diſcuſſa eſſet*, aut ſi diſcuſſa iam olim erat, rurſus in obliuionem propemodum venerat, vt temporis longinquitate, & humanæ memoriæ infirmitate accidere aſſolet. Quocirca quatuor iſti Concilio Tridentino contradicere minimè potuerunt, cum è vita exceſſerint diu antequam Concilium illud celebraretur. Vbi ergo imaginaria illa tua contradictio Hunni?

Miraberis fortè quatuor duntaxat à me nominari, cum tu quinque produxeris, qui ante Concilium vixerunt, *Nicolaum Liranum, Carthuſianum, Hugonem Cardinalem, Thomam de Vio Cardinalem, Caietanum item Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, & à latere legatum, & Lutheri perſecutorem.* Verum ſi tu ſingulos duplicare velis, ſicut Thomam de Vio Cardinalem, & Caietanum Cardinalem geminaſti, quaſi duo eſſent, cum ſit vnus & idem auctor, tum facilè tibi ex quinario teſtium numero comparabis denarium. Faciamus enim ex Lirano & Nicolao de Lira duos, duos itidem ex Carthuſiano & Dionyſio Richel, eundemque modum obſeruemus cum cæteris, & mox prodibunt deni, qui antea erant tantum quini. Fortaſſis Plauti Amphithryonem dare cogitas in tuo labyrintho, vt geminata perſona tibi ſit opus, alioqui non ſatis diſpicio, cur *Thomam de Vio Cardinalem, & Caietanum Cardinalem* in duos diuiſeris. Verùm ſimiles lapſus condonare oportet Hunnio, qui ipſos auctores non inſpicit, fraudibus doliſque texendis & tegendis ex Bibliis perperam intellectis nimium occupatus; ſed ab aliis citatos, quaſi commodatò, accipit, quos cum non nouerit, leui negocio ex vno duos efficit, rurſumque duos in vnum compingit. Nam ſi Liranum ipſe vidiſſet, nunquam his verbis citaſſet, *Nicolaus de Lira in prologo in libros Apocryphos*. Dictum enim oportuit, *prologo in librum Tobiæ*: hunc enim titulum proœmio illi ipſe Liranus præpoſuit.

De Driedone idem reſponſum habe, nam anno M. D. XXXIII. opus ſuum de ſcripturis Eccleſiaſticis & dogmatibus publicauit, longè videlicet ante Tridentinæ ſanctionis tempora. Arias Montanus librum tertium & quartum Eſdræ, tertium item Macchabæorum, nõ

autem

autem alios vocauit apocryphos: aut apocryphi vocem vſurpauit, ea notione, qua S. Hieronymus in prologo Galcato. Ad Sixtum Senenſem nihil aliud reſpondeo, quàm eum vim Tridentini decreti minus perpendiſſe: Quod ſi accuratius conſideraſſet, nunquam capitula illa libri Eſther in dubium reuocaſſet. Addo inſuper non erraſſe ex pertinacia, quæ propria hæreticis, ſed ex humana incogitantia, cui omnes mortales, quantumuis circumſpecti, ſubiiciuntur. Nec illud prætereundum, tam Sixtum quàm alios omnes, quos nominaſti, ita fuiſſe comparatos, vt ſi vel à Concilio Oecumenico, vel à ſede Apoſtolica erroris admoniti fuiſſent, protinus in contrariam ſententiam omni errore depoſito conceſſuri fuiſſent. Hæc enim ipſius Catholicæ religionis natura eſt & indoles, vt ſuum profeſſorem non ſibi fidere, ſed Eccleſiæ, ſediſque Apoſtolicæ decreto acquieſcere doceat: Et ſi quando euenit, vt quis reuera contra aliquod Eccleſiæ dogma ignarus nitatur, id tamen ſemper facit ſalua charitate, ſaluoque in omnibus Eccleſiæ iudicio. Quo fit, vt Eccleſiæ, propriè loquendo, non contradicat, cum nihil minus cogitet, quàm Eccleſiæ orthodoxæ, Apoſtolicæ & Romanæ contradicendo repugnare.

Ergo ex omnibus teſtibus, quos Hunnius producit, vnus tantum aliquid dicit, quod Tridentino Concilio contradicere videatur: nam alii vel ante Concilium ſcripſerunt vel ſi poſt ſcripſerunt, vt Arias, nihil Concilio aduerſum docent, niſi iudicio Hunnii, qui per fas & nefas Catholicos Doctores in ſcenam rapit: quaſi aliud, quàm Tridentinum Concilium, ſentiant.

Sed progrediamur vlterius, videamuſque, quomodo Hunnius, dum illuſtriſſimum Cardinalem Bellarminum, & clariſſimum virum D. Ioannem Piſtoriũ contradictionis & inconſtantiæ arguere ſtudet: ipſe ſeſe cõtradictionib⁹, mendaciis & calumniis *implicet, cõfundat, iugulet;* Ait Bellarminus: *Eſdram compoſuiſſe Canonem ſacrorum librorum.* Item, *Eſdram fuiſſe Prophetam. Ex his duobus ſic arguimus,* inquit Hunnius, Bruliferum loqui putes non Hunnium, adeo *arguit.* Audiamus tamen quomodo *arguat. Qui ſub anathematis comminatione mandant pro canonicis ſcriptis haberi eos veteris Teſtamenti libros, quos Eſdras in canonem non recepit, hi Propheticæ authoritati ſe opponunt. At patres Tridentini Concilii ſub interminatione anathematis mandant pro canonicis agnoſci librum Iudith, Tobiæ, Baruchi, poſteriora capita ſeptem Eſther, nempe vndecimum & ſequentia, poſteriora duo capita Danielis, quos libros & librorum* *Bellar. lib. 1. de verbo Dei. cap. 7. & lib. 2. c. 2. Theſ. 13.*

Digitized by Google

perſpicuum euadit. Cum ergo tot ſint & tam diſcrepantes ſententiæ veterum de libris Hebræorum canone comprehenſis: certi nihil hac de re conſtitui poteſt: niſi quis, huius Prædicantis ritu, ea tanquam certa obtrudere velit: quæ ipſe nulla firma ratione nixus certa eſſe ſtatuit.

Ad ſecundum argumentũ eadem reſponſio danda eſt. Nam Chriſtus & Apoſtoli probant canonem Hebræum, ſed non improbant canonem Eccleſiæ. Imo Eccleſiaſtici canonis auctores extiterunt. *Citarunt*, inquis, *ſolas ſcripturas Canonis Hebræi, ergo cæteras repudiarunt.* Vt verum eſſet antecedens: Conſecutio tamen nil valeret: non enim ſequitur, librum aliquem ab aliquo reiici, ideo tantum, quia nõ citatur. Fieri namq; poteſt, vt ratione argumenti, quod quis propoſitum habet, non ſuppetat occaſio citandi; quod etiam propter auditores vſu-uenire poteſt. Si enim Chriſtus & Apoſtoli diſputantes cum Iudæis, parum interdum efficiebant adducendis teſtimoniis ex illis voluminibus, quorum auctoritas apud Iudæos in confeſſo erat, quanto minus effeciſſent, ſi libros à ſynagoga non receptos teſtimonij gratia produxiſſent.

Præterea, ſi nulli libri ſunt de Canone Hebræo, niſi quos Chriſtus & Apoſtoli citant, ſequitur libros Eſdræ, non eſſe de Hebræo canone, vbi enim citantur à Chriſto aut Apoſtolis? Multi etiam ex Prophetis in canone Hebræo non erunt, quippe quorum nulla mentio à Chriſto aut Apoſtolis fiat. Adhæc cùm nihil credas, credendumúe arbitreris, niſi quod aut in ſcriptura expreſsè continetur, aut ex ſcriptura, per legitimam conſequentiam deducitur, mirari ſubit, quomodo viginti duos libros Hebraici canonis credas, cum id nec in ſcriptura diſertis verbis contineatur, nec inde etiam per bonam conſecutionem deduci poſſit: aut ſi res ſecus habet, agedum proba, aut euidenter deduc ex ſcriptura, nec plures nec pauciores eſſe libros de Hebræo canone, quam viginti duos, & quidem definitè illos, quos S. Hieronymus in prologo Galeato commemorat. Sed benè habet: conceſſiſti in colloquio Ratiſponenſi contra tuæ ſectæ prima principia, hæc aliunde ſciri non poſſe, quam ex traditione, ſynagogæ quidem, dum ſynagoga durabat, iam autem Eccleſiæ; vt nos quidem Chriſtiani exiſtimamus; quidquid tu Iudaizans de Synagoga, eiuſq; cathedra adhuc ſuperſtite blateres. Interim tamen traditionem admiſiſti, in quo tuam tecum conſenſionem commendo; & iam nunc egregium Labyrinthi fabricatorem magis atq; magis cognoſco.

Sed

Digitized by Google

Sed explica, oro, cur in acceptandis antiqui teſtamenti libris potius ſequi velis ſynagogam, quàm Eccleſiam. An fide dignior tibi videtur ſynagoga, quàm Eccleſia? Vereor ne verpo progenitus ſis, ſi ita ſentis. Longè tibi, vt video, mens eſt alia, quam S. Auguſtino, qui de libris Canonicis antiqui teſtamenti diſſerens, nullam Iudæorum, ſed Eccleſiæ Chriſtianæ rationem ducit: ait enim, libros Macchabæorum non *à Iudæis, ſed ab Eccleſia pro Canonicis haberi.* Et alibi totum ſcripturæ Canonem non ad Iudæorum, ſed ad Eccleſiæ præſcriptum componit, & percenſet. Ille idem etiam in Concilio Carthaginenſi cum collegis ſuis, non quid Iudæi, ſed quid Chriſti Eccleſia de Canone ſentiret, exponit. Et ipſe S. Hieronymus, licet exiſtimaret librum Iudith ab Hebræo Canone exulare, Eccleſiæ tamen aliud fuiſſe iudicium, publiceq; in Concilio Nicæno teſtatum ſancitumque, probè ſciuit, & quod ſciebat, in literas retulit, vt taceam alios, qui magno numero & conſenſu libros ab Hebręo canone excluſos, tanquam Canonis Eccleſiaſtici partes ſuſpexerunt, & ſuſceperunt. Neq; enim id iam agimus, vt hæc omnia accuratè confirmemus, cum nihil aliud nobis ſit propoſitum, quàm vt Hunnianas nænias refellamus.

S. Aug lib 18. de ciuit. Dei cap. 36.
Lib. 2 de doct. Chriſt cap 8.
Concil. Carth. III. can. 47.
S. Hier. præf. in lib Iudith.
Theſ. 9.

In recenſendis, inquis, *noui Teſtamenti libris, ſequimur eruditam vetuſtatem, & in hac beatum Hieronymum.* Rurſus contradictionibus ſeſe *implicat, confundit* & *iugulat* Hunnius; nam qui ſolam & vnicam ſcripturam omnium controuerſiarum iudicem eſſe ait, is relicta iam ſcriptura, alium Iudicem ſibi deligit, nempe antiquitatem, & in hac beatum Hieronymum. Quid tibi cum antiquitatis & S. Hieronymi iudicio, ſi ex ſola ſcriptura, vt alibi paſſim vociferaris, omnium controuerſiarum definitio petenda eſt? Aut igitur controuerſia de numero Canonicorum librorum noui Teſtamenti ad fidem non pertinet, quod vt impudens ſis, nunquam tamen affirmabis, aut tu dogma tuum ore tuo euertis, cum præter vnum illum iudicem alium adſciſcis.

Contradictioni addit Hunnius mendacium & imperitiam, niſi mauis fraudem & impoſturam; cùm ait, *ſe ſuoſque in recenſendis noui Teſtamenti Canonicis libris ſequi B. Hieronymum, in ſuis prologis, Galeato præſertim, & ſuper librum Prouerbiorum.* Vbi B. Hieronymus vel vllum verbum habet de libris Canonicis noui Teſtamenti in eo prologo, qui vulgo *Galeatus* appellatur? vbi vel vnum verbum de iiſdem libris Canonicis noui Teſtamenti in præfatione, quæ prouerbiis Salomonis præponitur? Aut igitur hic, Hunni, inſcitiam, aut fraudem

& impoſturam , aut mendacium , aut pariter hæc omnia fatearis oportet, cum S. Hieronymum teſtem laudas iis locis, vbi pro te nihil dicit. Nec hoc mendacio contentus, alia adiungis, quorum primum, cum ais: *Vos, in recenſendis libris Canonicis noui Teſtamenti, antiquitatem ſequi, & in hac B. Hieronymum.* Si antiquitatem ſequimini, cur libros noui Teſtamenti, prout à S. Auguſtino, & à Concilio Carthaginenſi recenſentur, non recipitis? An non ſat antiquus ſanctus Auguſtinus? an non ſatis antiquum Concilium Carthaginenſe? An non ſat veteres alij plurimi, qui omnes libros noui Teſtamenti, prout à Concilio Tridentino enumerantur, pro Canonicis & diuinis habuerunt? Si S. Hieronymum ſequimini, cur Lutherus, Brentius, Kemnitius Centuriatores repudiant Epiſtolam ſancti Iacobi, & Iudæ; cur de duabus S. Ioannis, de poſteriore S. Petri hæſitant, ancipiteſque fluctuant, num in album diuinarum ſcripturarum recipi mereantur? An hoc fecit S. Hieronymus? An non in Epiſtola ad Paulinum omnes iſtas Epiſtolas ſine vlla ambiguitate, tanquam à S. Spiritu profectas & dictatas, admittit? Aut igitur hoc itidem loco Hunnius mentitur, cum ſe ſuoſque cum S. Hieronymo ſentire ſcribit, aut Magiſtris & Doctoribus ſuis, Luthero, Kemnitio, Centuriatoribus, contradicit, ſi cum Hieronymo ſentit, à quo ipſos diſſenſiſſe palam eſt.

Bell. lib. 1. de verbo Dei. cap. 18.

Alterum mendacium eſt, cùm ſcribit: *S. Hieronymum ipſo iure Pontificio atteſtante, fuiſſe huius rei, hoc eſt, Canonicorum noui Teſtamenti æſtimatorem accuratiſſimum, & dexterrimum.* Non nego, hanc laudem S. Hieronymo iure tribui poſſe: ſed nego, hoc elogium à Iure Canonico S. Hieronymo tribui, ac proinde Hunnium quando hoc aſſeuerat, mentiri affirmo: Nomina locum; vbi hac laude ius Canonicum S. Hieronymum afficiat. Tu citas Can. *Sancta Romana* d. 16. vbi imprimis error, ſeu Hunnij ſeu librarij, diſtinctionem 16. pro 15. citantis. Deinde volui & reuolui ſæpius prædictum Canonem, *Sancta Romana*: nihil eius, quod tu comminiſceris, apparet: Initio hæc leguntur. *Sancta Romana Eccleſia poſt illas veteris teſtamenti & noui ſcripturas, quas regulariter ſuſcipimus, etiam has ſuſcipi non prohibet; ſanctam ſynodum Nicænam CCCXVIII. patrum &c.* Vbi nihil de ſancto Hieronymo. Infra probat canon opuſcula S. Hieronymi. paulò pòſt; Vitas Patrum, Pauli, Antonij, Hilarionis à S. Hieronymo conſcriptas. Tandem monumenta Ruffini, *quæ S. Hieronymus non reprehendit, & Origenis, quæ idem ſanctus Pater non repudiat.* Vbi illud tuum Encomium de accuratiſſimo & dexterrimo librorum Canonicorum noui Teſtamenti:

Digitized by Google

menti æſtimatore? Ad hæc cur tui Magiſtri Lutherus, Kemnitius, Centuriatores diſſentiunt ab accuratiſſimo & dexterrimo Canonicorum librorum æſtimatore? An accuratiores & dexteriores ipſi ſunt, quàm accuratiſſimus & dexterrimus? Cur tu ipſe à S.Hieronymo diſſentis? Nam quicquid verbis præferas, illud tantum efficis, vt aut diſſentias ſimul & mentiaris, aut ſi nec diſſentis, nec mentiris, Doctoribus tuis aduerſa fronte contradicas.

Diſſentit, inquis, *à nobis, Concilium Tridentinum.* Grande piaculum, ſi orbis terrarum Concilium diſſentiat à conciliabulo malignantium. Grande piaculum, ſi Synodus orthodoxa diſſentiat à ſynagoga Hæretica, eoſque libros in Canonem admittat, quos ſectariorum licentia inde exterminat, quod non fit *Prætoria,* vt tu calumniaris, ſed poteſtate diuinitus Eccleſiæ conceſſa; niſi fortè Apoſtoli quoque ex *Prætoria* poteſtate illud protulerint: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.* Recipit, inquis, *Concilium Tridentinum libros nonnullos, quos Canonicos eſſe negant Patres Apoſtolorum temporibus vicini.* At qui nam ſunt iſti Patres? Quinam iſti libri? cur nomina taces? Scio dubitatum fuiſſe de libris nonnullis à nonnullis, num Canonici eſſent. At aliud eſt dubitare, num liber ſit Canonicus, aliud tanquam non Canonicum repudiare. Vt aliqui veteres ſcriptores de aliquorum librorum auctoritate dubitârint, vt nonnulli item, licet pauciſſimi, aliquos verè Canonicos libros reiecerint, quid hoc ad vniuerſam Eccleſiam, quæ pauculis iſtis vel ambigentibus, vel apertè negantibus auctoritate longè præſtat; quippe columna & firmamentum veritatis. Secundo, ſi ideo ab Eccleſia in Canonem recipi nequit liber, quia aliquando à quibuſdam de eius auctoritate dubitatum eſt, aut quia diſertè tanquam non Canonicus repudiatus eſt, cur recipis Apocalypſin, quam Canonicam eſſe abnuit Caius ſcriptor vetuſtiſſimus apud Euſebium? Cur recipis Epiſtolam ad Hebræos, cur S. Iacobi? cur alteram ſancti Petri, cur denique alios libros, parteſq; librorum, cum de eorum auctoritate num diuina ſit, non exigua apud nonnullos dubitatio olim exſtiterit. Nec mireris me ita loqui. Ais enim, *te tuoſque, in Canone noui Teſtamenti ſequi B. Hieronymum.* Si hunc ſequeris, oportet vtique, vt libros illos recipias, quorum auctoritas apud quoſdam olim dubia, aut etiam penitus nulla fuit, quia ſanctus Hieronymus hos libros recipit. Si igitur tu iure optimo Canonica auctoritate dignaris huiuſmodi olim dubios & ſuſpectos libros, cur id non liceat Eccleſiæ, cum in aliis Conciliis, tum nouiſſimè in Tridentino legitimè

Theſ. 10.

Act. 15.

congregatæ, eo fine, vt tam huic de canonicis libris, quàm aliis fidei controuerſiis finem imponeret. Cur quod tibi das laudi, reprehendis in Concilio Tridentino? Noua igitur contradictione tuum Labyrinthum, ne ruat, fulcis, dum illud ipſum, quod in Concilio Tridentino improbas, in te probas, tuiſque rationibus tuas itidem aſſertiones proſternis.

Theſ. 11. *Diſſentit*, inquis, *Concilium à iure Pontificio, aſſerente, loco iam allegato, ſe idem ſentire, quod cognoſcat B. Hieronymum ſentire.* Non diſſentit Concilium à ſancto Hieronymo in libris Canonicis noui teſtamenti, non enim alios approbat Concilium, quàm quos approbat S. Hieronymus. diſſentit Concilium, fateor, à ſancto Hieronymo, in Canone librorum veteris Teſtamenti, quia in hoc ſolos libros, quos Iudæis Canonicos exiſtimabat, repoſuit S. Hieronymus. Sed non diſſentit Concilium à S. Auguſtino, non diſſentit à Concilio Carthaginenſi; non diſſentit ab vllis aliis, qui circa hanc de numero librorum Canonicorum veteris Teſtamenti quæſtionem rectius vel potius perfectius iudicium tulerunt. Denique, quod caput eſt, non diſſentit ab ipſa veritate. Cui autem potius aures præbendæ? Hieronymo, an illi Eccleſiæ, cui ſe & omnia ſua ſcripta & dicta Hieronymus ſubiiciebat? qui libros nonnullos veteris Teſtamenti à Canone excluſit tunc, cum vtrum Canonici eſſent, nondum, vt loquitur S. Auguſtinus, *eliquatiſſimâ perſpectione diſcuſſum eſſet.* Etſi librum Iudith in Canonem Eccleſiæ Chriſtianæ admiſit, quia ſciebat à Concilio Nicæno receptum eſſe. Quod ſi S. Hieronymus Concilij alicuius Oecumenici, & vt S. Auguſtinus appellat, *plenarij*, definitionem vidiſſet, qua in Canonem Eccleſię recepti fuiſſent omnes libri, qui à Concilio Carthaginenſi, & à Tridentino recepti ſunt, non dubium, quin manibus pedibuſq; in eandem ſententiam cōceſſiſſet, quippe Eccleſiaſticarum ſanctionum & decretorum tenaciſſimus & obſeruantiſſimus. Quod ſi tanto ſtudio imitandi Hieronymi teneris in recenſendis libris Canonicis veteris teſtamenti, cur nō ſequeris eundē Hieronymū, qui librū Iudith ob cōcilij Nicęni conſtitutionē in ſanctarū ſcripturarū numero cōputat? An in Hieronymi veſtigiis tua veſtigia ponis, quando, & quādiu, & vbi lubet? & ideo aliud putas falſum, q̃a contra te; aliud verum, q̃a pro te, & pro tuo Labyrintho ſonat? At S. Hieron. inquies, in ꝓlogo *Galeato* apocryphos vocat omnes illos libros, qui extra Canonē Iudaicū reperiuntur. Sed quid ſi S. Hieronymus eo loco non ſcripſit *Apocryphum*, ſed hagiographū, ꝙ quis non iniuria ſuſpicetur; fortaſſis

S. Auguſt. lib. 3. contra Donatiſt. cap. 3.

non

non ignoras. Nec deeſt argumentũ. Alibi enim libros Iudith & Thobiæ hagiographa Hebręis fuiſſe memorat: non potuit igitur alibi ſcribere, niſi tuo more ſibi contradicere vellet, libros iſtos ab Hebræis Apocryphorum claſſi accenſitos fuiſſe; aut ſi hoc nomine vſus eſt, latiore ſignificatione eo vſus eſt; prout Apocryphum omne illud Hebræis dicebatur, & etiamnum dici poteſt, quod extra diuinæ ſcripturæ canonem ponitur: ſicut etiam alibi ampliore ſignificatu accepit vocem *hagiographa*, quàm in prologo *Galeato*. Cæterum hæc Apocryphi ratio, non impedit quominus liber verè ſit à ſancto Spiritu profectus, idque poſteris temporibus nobis per Eccleſiam innoteſcat. Hac notione Thobias, Iudith, Eccleſiaſticus, Macchabæi cenſebuntur apocryphi, quia apud Iudæos non erant in diuinarum ſcripturarum Canone, & tamen reuerà æquè erant à parte rei diuinitus traditæ & dictatæ ſcripturæ, ac Pentateuchus, aut libri Regum; quod poſtea per infallibilem Eccleſiæ declarationem fidelibus patefactum eſt. *S Hier. præfa. in Iudith. & præfat. in Iob.*

Verùm vt ad inſtitutum reuertar: Ius Canonicum non probat ſententiam S. Hieronymi circa numerum librorum Canonicorum, & ſic Concilium diſſentiens à S. Hieronymo, non diſſentit à iure Canonico. Vbi enim aſſerit ius Pontificium ſe non plures libros veteris Teſtamenti in Canonem recipere, quam receperit S. Hieronymus? Tu, tuique Magiſtri id euincere vultis ex his verbis: *Can. S. Romana. Illa ſentimus, quæ prædictum beatum Hieronymum ſentire cognoſcimus, & non ſolum de Ruffino, ſed etiam de vniuerſis, quos vir ſæpius memoratus Zelo Dei & fidei religione reprehendit*, vbi tu per verba illa, *de vniuerſis*, intelligis, vniuerſos libros, quos S. Hieronymus non recipit, non recipi item à iure Canonico. Ad hanc obiectionem reſpondet Bellarminus; Gelaſium in illo Canone loqui, de libris Doctorum, vt Origenis, Ruffini, & ſimilium, non de libris Canonicis. Hanc reſponſionem veriſſimam eſſe libenter fatebitur, quiſquis verba & ſcopum Canonis vel obiter conſiderauerit. Nam cum Pontifex generatim de ſacra ſcriptura, & in ſpecie de quatuor primis Conciliis Oecumenicis egiſſet, hæc ſubdit. *Iam nunc ſubiiciendum eſt de opuſculis ſanctorum Patrum*: cumque progreſſu orationis, Ruffini mentione facta, dixiſſet, Ruffinum in nonnullis à S. Hieronymo fuiſſe reprehenſum, ſubdit; *Eccleſiam Romanam illa ſentire, quæ ſentit S. Hieronymus, & illa repudiare, quæ in Ruffino repudiat Hieronymus; repudiare etiam illa, quæ in aliis ſcriptoribus & tractatoribus idem ſanctus pater reprehendit*: Quid hoc ad numerum librorum Canonicorum? *Bellar. lib. 1. de verbo Dei*

Dices, Pontificium ius approbat omnia opuſcula S. Hieronymi, ergo etiam hanc de canonicorum librorum numero ſententiam. Hãc conſecutionem vt elidam, aliam formo huic gemellam, imò rationi longè magis cõſentaneam, quàm priorem. Ius Pontificium approbat opuſcula beati Auguſtini, ergo ẽt ſententiam illius de numero librorũ canonicorum, q̃ non eſt alia, q̃ illa à patribus Tridentinis tradita. Item ius canonicum approbat cõcilia, ſi qua à ſanctis patribus præter quatuor illa celeberrima, ſunt inſtituta, ergo ẽt approbat canonem librorum diuinorũ à concilio Tridentino traditum; quia hunc concilium Carthaginenſe à iure Pontificio approbatum probat; ſi dicas non valere has meas conſequentias; ego iure longè meliori dicam, non valere tuas: Neq; .n. Pontifex eo ipſo quod alicuius Doctoris opuſculum approbat, omnia & ſingula, quæ in eo continentur, approbat, niſi hoc ſpeciatim exprimat; vt fecit in epiſtola S. Leonis ad Flauianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, de qua ait: *Cuius textum quiſpiam, ſi vſq; ad vnum iota diſputauerit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema ſit*: alioquin approbando lucubrationes S. Cypriani, approbaſſe etiam cenſeretur opinionẽ illam S. Cypriani de hæreticis rebaptizandis; quod nemo dixerit, niſi Hunnianus aliquis Dædalus, pro mendaciorum & antilogiarum Labyrintho quiduis comportare ſolitus.

Aliunde ergò oportet, vt inquiramus, quantum valeant huiuſmodi conſecutiones, quas quiuis formare poteſt, ſi nugari velit. Canonis, *ſancta Romana*, auctor & conditor & B. Gelaſius Pontifex. Eſt namq; pars decreti de libris probatæ & damnatæ lectionis, quod Gelaſius in concilio cum ſeptuaginta Epiſcopis edidit; pars inquam, quia Gratianus nonnulla breuitatis cauſa ſilentio præteriit, ducto initio ab illis verbis Gelaſii: *Sancta Romana Eccleſia poſt illas veteris, vel noui,* (vt eſt in edit. Conciliorum) vel (vt habet Gratianus) *& noui Teſtamenti, quas regulariter ſuſcepimus,* (Gratian. ſuſcipimus) *etiam has ſuſcipi non prohibet ſcripturas, id eſt, ſanctam ſynodum* Nicænam, *&c.* Hæc Pontifex: quæ verba Gratianus, ſeu ius Pontificium aliter non intelligit, quàm intellecta ſunt ab auctore Gelaſio, ac proinde nec alias veteris & noui Teſtamenti ſcripturas recipit, quã recepit Gelaſius. Quas autem recepit Gelaſius? Eaſdem nimirum, quas concilium Tridentinum. Id liquet ex decreto, quod de libris canonicis in eodem concilio Romano Gelaſius cum 70. Epiſcopis promulgauit. Extat hoc decretum & quidem geminũ apud Burchardũ, Iuonem, Iouerium, & To-

Burch. lib 3. ca. 217, 218. 220.

me

Digitized by Google

mo 1. Conciliorum; prioris hæc eſt inſcriptio: *Ordo librorum veteris Teſtamenti, quem ſancta & catholica Romana ſuſcipit, & veneratur Eccleſia, digeſtus à Gelaſio Papa cum ſeptuaginta Epiſcopis.* Poſterioris hæc eſt epigraphe. *Item ordo ſcripturarum noui & æterni Teſtamenti.* In poſteriore ponuntur omnes illi libri noui Teſtamenti, qui enumerantur à Concilio Tridentino: in priore omnes illi, quos S. Hieronymus à canone excludit. Vt liber ſapientiæ, Eccleſiaſticus, Thobias, Iudith, Macchabæi, niſi quod vnus duntaxat Macchabæorũ nominatur, ſicut & vnus Eſdræ: nam vt olim primus & ſecundus Eſdræ pro vno libro habebãtur, vt patet ex proœmio S. Hieronymi in Eſdram; ita ẽt primus & ſecundus Macchabæorum pro vno libro reputabantur. Apud Burchardum tamen duos Macchabęorum libros in hoc ipſo decreto legimus. Baruch expreſſè quidem non ponitur, verùm ſub Hieremiæ nomine comprehenditur, cuius prophetia illa appendix eſt, qua de cauſa ab Auguſtino quoq; Baruch nominatim non eſt expreſſus. *Iuo. p 4. ca. 64. Iouerius in collectione decretorum.*

I nunc, Hunni, & diſſonantiam Concilii Tridentini cum iure Pontificio ſolitis buccis crepa & increpa, & pro labyrintho tuo non modo contradictionum, ſed & mendaciorum inania plauſtra congrega. Etiam ipſum Gelaſii decretum, prout à Gratiano recitatur ab hac tua imperita proteruia te auocare poterat, ſi attentior eſſes ad veritatem, quam ad criminationem. In Canone enim, *Romana Eccleſia,* poſtquam omnia de authenticis & apocryphis ſcriptis Pontifex abſoluerat; ſubiungit indicem librorum canonicorum, qui in diuinis & Eccleſiaſticis officiis totius anni decurſu legi ſolent: Nonne inter ſacræ ſcripturæ libros, qui ſtatis diebus leguntur, numerat quoque Thobiam; librum, ſeu, vt Iuo habet, libros Macchabæorum, &, vt apud eundem Iuonem eſt, Iudith? Item libros Salomonis, hoc eſt, non tantum parabolas, Eccleſiaſten, Cantica canticorum, ſed & librum Sapientiæ & Eccleſiaſticum, nam & iſti certis anni temporibus, in diuinis officiis legi conſueuerunt. Sed ſatis de hac ſeu fallacia ſeu ignorantia Hunnii.

Qui vt decretum Concilii Tridentini eleuet, opponit Lyranum, Carthuſianum, Hugonem Cardinalem, Caietanum, Benedictũ Ariã, Driedonẽ, Sixtũ Senenſem, quaſi aliter ſenſerint de libris Canonicis, q̃ conciliũ Tridentinũ ſtatuat. Reſpondeo 1. vt maximè iſti contrarium ſenſiſſent, & aliquos libros, quos vt canonicos probat conciliũ Tridẽtinũ, ex canone eieciſſent, nemo tamẽ non videt, concilii Oecumenici grauiorem eſſe autoritatẽ, maiuſq; ad perſuadendũ pond᾽, quam ſex, *Theſ. 12.*

ſeptem-

autem alios vocauit apocryphos: aut apocryphi vocem vſurpauit, ea notione, qua S. Hieronymus in prologo Galeato. Ad Sixtum Senenſem nihil aliud reſpondeo, quàm eum vim Tridentini decreti minus perpendiſſe: Quod ſi accuratius conſideraſſet, nunquam capitula illa libri Eſther in dubium reuocaſſet. Addo inſuper non erraſſe ex pertinacia, quæ propria hæreticis, ſed ex humana incogitantia, cui omnes mortales, quantumuis circumſpecti, ſubiiciuntur. Nec illud prætereundum, tam Sixtum quàm alios omnes, quos nominaſti, ita fuiſſe comparatos, vt ſi vel à Concilio Oecumenico, vel à ſede Apoſtolica erroris admoniti fuiſſent, protinus in contrariam ſententiam omni errore depoſito conceſſuri fuiſſent. Hæc enim ipſius Catholicæ religionis natura eſt & indoles, vt ſuum profeſſorem non ſibi fidere, ſed Eccleſiæ, ſediſque Apoſtolicæ decreto acquieſcere doceat: Et ſi quando euenit, vt quis reuera contra aliquod Eccleſiæ dogma ignarus nitatur, id tamen ſemper facit ſalua charitate, ſaluoque in omnibus Eccleſiæ iudicio. Quo fit, vt Eccleſiæ, propriè loquendo, non contradicat, cum nihil minus cogitet, quàm Eccleſiæ orthodoxæ, Apoſtolicæ & Romanæ contradicendo repugnare.

Ergo ex omnibus teſtibus, quos Hunnius producit, vnus tantum aliquid dicit, quod Tridentino Concilio contradicere videatur: nam alii vel ante Concilium ſcripſerunt vel ſi pòſt ſcripſerunt, vt Arias, nihil Concilio aduerſum docent, niſi iudicio Hunnii, qui per fas & nefas Catholicos Doctores in ſcenam rapit: quaſi aliud, quàm Tridentinum Concilium, ſentiant.

Sed progrediamur vlterius, videamuſque, quomodo Hunnius, dum illuſtriſſimum Cardinalem Bellarminum, & clariſſimum virum D. Ioannem Piſtoriũ contradictionis & inconſtantiæ arguere ſtudet: ipſe ſeſe cõtradictionib⁹, mendaciis & calumniis *implicet, cõfundat, iugulet*; Ait Bellarminus: *Eſdram compoſuiſſe Canonem ſacrorum librorum.* Item, *Eſdram fuiſſe Prophetam. Ex his duobus ſic arguimus*, inquit Hunnius, Bruliferum loqui putes non Hunnium, adeo *arguit*. Audiamus tamen quomodo *arguat. Qui ſub anathematis comminatione mandant pro canonicis ſcriptis haberi eos veteris Teſtamenti libros, quos Eſdras in canonem non recepit, hi Propheticæ authoritati ſe opponunt. At patres Tridentini Concilii ſub interminatione anathematis mandant pro canonicis agnoſci librum Iudith, Tobiæ, Baruchi, poſteriora capita ſeptem Eſther, nempe vndecimum & ſequentia, poſteriora duo capita Danielis, quos libros & librorum*

Bellar. lib. 1. de verbo Dei. cap. 7. & lib. 2. c. 1. Theſ. 13.

partes conſtat ab Eſdra in Canonem non eſſe receptas: Ergo patres Tridentini Concilii Propheticæ authoritati, quæ in Eſdra fulſit, palam ſe opponunt. Mirum, ſolennem Hunnio clauſulam omitti: *En in omnem æternitatem inuictum argumētum.* Sed vincetur, ſi vno vel altero verbulo neges maiorem, quam quomodo & quando probabit Hunnius? Etſi .n. Eſdras quoſdam libros in illo Canone, quem Hebræis edebat & promulgabat, non poſuit, non tamen diuinos & à ſancto Spiritu dictatos eſſe negauit, nec vt falſos, aut humanæ duntaxat auctoritatis monumenta repudiauit, ſed rem in medio reliquit, quam poſtea Eccleſia Chriſtiana pro poteſtate ſibi à ſponſo ſuo impertita definiuit, receptis in Canonem libris, quos Eſdras omiſerat, nec tamen, vt commentitios, aut humana tantum induſtria ſcriptos condemnarat: nam ſi Eſdras Spiritus ſancti inſtinctu, à quo vt Propheta ſuis in actionibus regebatur, libros, de quibus diſceptamus, nigro theta præpoſito notaſſet, Eccleſia Chriſti eos in Canonem nunquam admiſiſſet, cum non ab alio Spiritu agatur, quàm ab illo, qui Eſdræ animum gubernabat. Et quidem quod ad Macchabæorum libros attinet, magis mirandum fuiſſet, ſi eos in Canone poſuiſſet, quàm nunc ſit, cum eos in Canone Hebræo non poſuit, quod ipſe Hunnius aduertens, callidè diſſimulauit in ſuo ſyllogiſmo libros Macchabæorum, quos Tridentina ſynodus æquè ac ſupra nominatos præcipit recipi, ſed quia cernebat ſe ex Canone Eſdræ nullam calumniam aduerſus Tridentinam ſynodum texere poſſe, quod quidem ad Macchabæorū libros attinet, ideo eos ſilētio tranſmittit. His hunc in modum diſcuſſis in fumū abit cōmētitia contradictio, qua Bellarminū in ſemetipſū pugnare fingebas.

A Bellarmino tranſit Prędicans ad Piſtoriū quē mentitur à Concilio Tridentino & Pontificia Eccleſia diſſentire. Qua de cauſa verò? Quia, vt inquit Hunnius, *tertium & quartum librum Eſdræ canonicis libris annumerat.* At te clariſſimo viro iniuriam facere facilè perſpiciet is, qui loca à te ex libro Piſtorii notata inſpexerit. Nuſquam enim duos poſteriores libros Eſdræ canonicos, nuſquam diuinos nominat; tantum Lutherum reprehendit, quod de illis non aliter ſenſerit ac ſcripſerit, ac de fabulis Æſopi, quodque eos ſuperbo ſupercilio, ne verſione quidem ſua, nedum ſtatione in Lutheranis Bibliis dignari voluerit: cùm tamen alii plerumque libros iſtos annectant primo & ſecundo Eſdræ, non vt canonicos, ſed vt lector, ſi lubeat, videre itidem poſſit, quid libri non Canonici de rebus Iudaicis tradant: Hæc Piſtorii mens eſt: hæc iuſta in Lutherum animaduerſio. Licet enim Canonici

Theſ. 15. Motiua illuſtriſ. Marchionis Badenſis.

non

non ſint,non eſt tamen neceſſe,vt meliores & veriores non ſint,quàm Æſopus,vt Lutherus blatit;quia nec Ioſephi, nec Philonis libri in Canonicis numerantur, & tamen longè meliores & veriores ſunt, quam Æſopus. Quare nihil neceſſe erat, vt tam verboſè nobis ex Bellarmino demonſtrares tertium & quartum Eſdræ non eſſe Canonicos:non negat hoc Piſtorius: aut quarto fabulas & nænias Thalmudiſtarum inſperſas eſſe,nam neque hoc inficiatur Piſtorius. Tantum Luthero crimini vertit, quod non meliores fabulis Æſopi dixerit & ſcripſerit. Nam vt fabulas aliquas contineant; continent tamen non pauca quæ veritati conſonant, veritati inquam, non Canonicæ & infallibili, ſed hiſtoricæ & humanæ.Quo fit, vt meliores & veriores ſint Æſopo:quia quicquid in Æſopo eſt,fabuloſum eſt. Vt taceam, Lutherum hoc etiã nomine iure à Piſtorio reprehenſum, quod hac ſua cenſura perſtringere voluit illos, qui in editionibus Bibliorum poſteriores libros Eſdræ adiungunt prioribus, quaſi Æſopum diuinis literis copulent. Quod cum à vero abhorreat,iure optimo mendax Lutheri impudentia in caput ipſius à Piſtorio regeritur. Nulla igitur inter Piſtorium & Bellarminum diſcordia eſt. Nulla contradictio. Negat Bellarminus hos libros eſſe Canonicos. Contrarium non affirmat Piſtorius; Ait Bellarminus, quartum Eſdræ fabulis interſperſum. Non negat hoc Piſtorius. Piſtorius reprehendit Lutherum, quod libros hos Æſopo nihilo meliores dixerit. Non defendit Lutherum Bellarminus,quaſi rectè dixerit & ſcripſerit. Rurſus ergo ventoſa Hunnii loquacitas in ventum abit.

Sed obſerua hic lector obiter vanitatem aliorum quorundam Prædicantium,qui nuper ſcribere non erubuerunt, libros Eſdræ, tertium & quartum cenſeri à Dietenbergero Canonicos, ea ſolùm de cauſa, quia Dietenbergerus eos in editione Bibliorum germanica non præteriit; ſcireque cupiunt, quis Dietenbergero fecerit poteſtatem duos illos libros in Canonem cooptandi; quaſi vaniſſimi ſeductores ignorent,non ideo aut hos aut alios libros, vt tertium & quartum Macchabæorum à Dietenbergero, aut vllo alio orthodoxæ fidei Profeſſore cenſeri, aut fieri Canonicos, quod cum Canonicis in eodem volumine excudantur & publicentur; alioquin nullo negocio efficient Prædicantes, vt Virgilii aut Ciceronis libri ſint Canonici. Quid enim operæ aut laboris in hoc, vt eos poſt duos Paralipomenωn, aut alios ſacræ ſcripturæ Codices in eodem volumine edi & legi iubeant? Ergo Dietenbergerus cõmunem

Digitized by Google

ferè morem ſecutus, hos libros, ſua etiam in editione, omittere noluit, non quia Canonici eſſent, ſed quia cum Canonicis, apud multos ſaltem, recepto vſu iungi ſolerent. At Dietenbergerus *vocat Biblia ſua catholica*: Rectè; quia Bibliorum nomine non intelligit omnes illos libros qui in illo volumine continentur; ſed illos; quos catholica Eccleſia, vt Bibliacos, hoc eſt, vt authenticos commendat, & acceptat, cuiuſmodi non ſunt tertius & quartus Eſdræ.

Obiiciunt, *Romanam editionem carere his libris, eò quod ſint Apocryphi.* At aliæ editiones nouæ & antiquæ libros iſtos repræſentant, potuit igitur ſine vllo ſcelere Dietenbergerus ſe cum illis conformare. Habuit illa cauſas omittendi; habuit Dietenbergerus cauſas ponendi, & tam hic, qui poſuit, quàm illa, quæ omiſit; libros illos extra canonicorum cenſum habuit. Editio Romana 70. interpretum, operâ Sixti V. adornata tertium Macchabæorum librum cum duobus prioribus iungit, & in eodem codice legendum exhibet. An ideo eſt Canonicus? Et de qua tandem editione Romana latina loquuntur Prædicantes? Videntur quidem loqui de vltima, hoc eſt, de Sixtina ſeu Clementina, de qua, ſi quod dicunt, intelligunt, egregios ſycophantas ſe probant. An non enim tertius & quartus Eſdræ in illa editione comparent? etſi non ſtatim poſt duos authenticos libros Eſdræ, ſed in calce omnium tam veteris, quàm noui Teſtamẽti voluminum, quem in locum reiecti ſunt, vt Lector quaſi perpetuo tenore per canonica ſcripta decurreret.

Sed conantur Prædicantes ipſum etiam Concilium Tridentinum inconſtantiæ redarguere, *quod duos poſteriores libros Eſdræ Apocryphis annumeret. Approbat*, inquiunt, *veterem & vulgatam editionem.* Quid tum? *Ergo Concilium hoc ipſo etiam approbat tertium & quartum Eſdræ.* Pulchram & ſeminiuerbiis iſtis dignam conſecutionem. Quaſi vero Concilium veterem & vulgatam editionem alibi probauerit, præterquam in libris canonicis, & authenticis; in illis inquam libris, quos paulò antea tanquã canonicos enumerauerat, imo & promulgauerat. Sed agnoſcamus etiam hoc loco ſubtiliſſimas, hoc eſt, Hunnianas conſequentias. Dietenbergerus more veteri, & pleriſq; vſitato, edit poſt duos priores libros canonicos tertium quoque & quartum Eſdræ: ergo tertium & quartum Eſdræ *canonizat*, hoc eſt, in diuinarum literarum canone collocat. Item, Dietenbergerus vocat Biblia ſua catholica, ergo quicquid librorum in illo libro continetur, id Dietenbergerus pro canonico habuit. Præterea Synodus Tridentina appro-

approbauit veterem & vulgatam editionem, ergo etiam tertium & quartum Eſdrę. Dignę conſequentię eorum ingeniis, qui cum Maior aut Minor, aut Antecedens, aut conſequentia negatur, neſciunt, quò ſe vertant: & nec illius ſui axiomatis, quiduis ex quouis colligendum eſſe, reminiſcuntur.

Reuertamur ad Hunnium. Qui poſtquam vidit ſe nihil efficere, dum Illuſtriſſimum Bellarminum & clariſſimum virum D. Piſtorium inter ſe committere nititur, aliò ſe vertit, eundemq; Bellarminum & Gregorium de Valentia cum Benedicto Aria Montano committere ſtudet. At qua in re? Audi Lector, & vanitatem Labyrinthi huius intuere, vel potius deteſtare. *Theſ. 24. & ſeq.*

Bellarminus reiicit eorum ſententiam qui Hebraicam Bibliorum editionem vbique puram & incorruptam eſſe aſſeuerant, voluntq; ad eam, tanquam ad limpidiſſimũ fontem, exigendum eſſe, quicquid vel Græci, vel Latini Codices cõtinent. Gregorius de Valentia plus dicit: nimirum, *non audiendos eſſe illos, qui poſt Concilium Tridentinum contendunt, etiam nunc editionem vulgatam per Hebraicos, & Græcos Codices, tanquam per fontes (vt aiunt) in locis aliquibus, quod ad ipſam ſententiã attinet, emendari poſſe: non licet hoc facere. Quin potius Græci & Hebraici codices, ſicubi à noſtra editione diſſideant, per noſtram corrigendi & emendandi ſunt. Nam hanc Eccleſia peculiari definitione per omnia probauit, non illos, quanquam nec illos reiecit, niſi vbi huic noſtræ editioni fortè cõtradicerent.* Montanus verò docet, *omnia de quibus in Bibliorum interpretatione dubitatio ſuboritur, ad Hebraicam veritatem in veteri, & Græci ſermonis fontem in nouo Teſtamento eſſe examinanda.* En contradictiones, en diſſenſiones implacabiles, & quibus componendis nullus pacificator ſit ſatis: quaſi ad fidei dogma pertineat, affirmare, Hebraicum Bibliorum textum penitus incorruptum, aut alicubi corruptum eſſe. Quoties huiuſmodi Catholicorum Doctorum diſcrepantes opiniones protuleris, ingeram tibi præclaram illam S. Auguſtini ſententiam. *Alia ſunt in quibus inter ſe aliquando etiam doctiſſimi, atque optimi regulæ Catholicæ defenſores, ſalua fidei compage, non conſonant, & alius alio de vna re melius aliquid dicit & verius. Hoc autem, vnde nunc agimus ad ipſa fidei pertinet fundamenta.*

Bell. lib. 2. de verbo Dei c. 2.

Greg. Valent. in Analyſ. fidei

S. Augu. lib. 1. contra Iulian. cap. 2.

Audi Hunni. Si Labyrinthum contradictionũ Pontificiarum, non criminationum Hunnianarũ extruere paras, oportet, vt proferas contradictiones, & diſſenſiones Doctorum Eccleſiæ Catholicæ circa dogmata fidei: quæ ad fidei articulos ſpectare, ipſis etiam diſceptantibus

Digitized by Google

manifeſtum fuerit: alioquin nihil aliud agis, quàm quod fumos vendis, quam artem vbique factitas. Quo enim ſæculo vnquam accidit, vt de quæſtionibus nondum *eliquatiſſima perſpectione*, vt Auguſtinus loquitur, *diſcuſsis* nec ab Eccleſia in alteram partem definitis, non extiterint variæ Doctorum virorum ſententiæ, ſed ſalua vbique fidei & charitatis concordia; quia vt ſanctus Auguſtinus ait, *ſanitas pacis hoc facit, vt cum diutius aliqua obſcuriora quæruntur, & propter inueniendi difficultatem diuerſas pariunt in fraterna diſceptatione ſententias, donec ad verum liquidum perueniatur, vinculum permaneat vnitatis, ne in parte præciſa remaneat inſanabile vulnus erroris. Et ideo plerunque Doctoribus minus aliquid reuelatur, vt eorum patiens & humilis charitas, in qua fructus maior eſt; comprobetur, vel quomodo teneant vnitatem, cum in rebus obſcurioribus diuerſa ſentiunt: vel quomodo accipiant veritatem, cum contra id quod ſentiebant, declaratum eſſe cognoſcunt.* Hæc pulchrè ſanctus Auguſtinus; quæ tibi dicta volo, quotieſcunque diſputationes de rebus liberis, & in neutram partem ab Eccleſiaſtica auctoritate determinatis, produxeris. De his enim diſſeritur ita, vt (quod ait ſanctus Cyprianus) *ſeruetur patienter & leniter charitas animi, collegij honos, vinculum fidei, concordia Sacerdotij.* Et quiuis ſiue hanc, ſiue illam ſententiam in hoc libero diſputãdi campo amplectatur, idem de ſe profitetur, quod olim ſanctus Cyprianus de ſe. *Scimus*, aiebat, *quoſdam, quod ſemel imbiberunt, nolle deponere, nec propoſitum ſuum facilè mutare, ſed ſaluo inter collegas pacis & concordiæ vinculo quædam propria, quæ apud ſe ſemel ſint vſurpata retinere; Qua in re non vim cuiquam facimus, aut legem damus, quin habeat in Eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ arbitrium liberum, vnuſquiſque ſit Præpoſitus rationem actus ſui domino redditurus.*

S. Augu. lib. 2. de bapt. contra Donat. cap 4.

S. Cyprian. ad Iubaian.

S. Cyprian. ad Stephanũ Papam. Citat S. Hiero. lib. contra Lucifer.

Non alia mente de hac ipſa Hebraici textus controuerſia diſceptant Bellarminus, Gregorius de Valentia, Arias, & alij Doctores orthodoxi, nullus enim alteri parti anathema denunciat, quamdiu Eccleſia alteram partem ſub anathemate non damnat: ſed omnes hoc agunt, vt veritas tenebris demerſa eruatur, & clara in luce reponatur; tametſi ſit, vt alius alio hac ipſa de re *aliquid melius dicat & verius*. Nec dubito, quin hæc laus in hac diſceptatione debeatur Bellarmino & Gregorio de Valentia. Nam textum Hebraicum vbique eſſe incorruptum: ita vt ad illum omnia Græca & Latina, ſi quando ab Hebręis variant, ſint emendanda: id profectò creditu difficillimum eſt, nec vllis rationibus euincitur. Nam Hebraica lingua vulgò eſt ignotior, quàm

quàm Grǽca aut Latina, facilius ergo ex imperitia liber hac lingua ſcriptus corrumpi poteſt, quàm Græcus aut Latinus. Si ergo iam olim & Græca & Latina exemplaria multis in locis corrupta fuerunt, ita vt doctiſſimis quibuſque, & in his præcipuè S. Hieronymo, plurimum laboris ſuſcipiendum fuerit, vt omnia priſtinæ integritati reſtituerentur, quis iure ambigat, eandem aleam ſubiiſſe Hebraicum quoque textum, librariis minus cognitum tam quoad verba, quàm quoad ſententiam. Secundo, ſimilitudo quorundam characterum huius linguæ, item ratio punctorum, non adeo vetus inuentum, & id genus alia, textui corrumpendo viam ſternunt valdè procliuem, quorum nihil in Latino aut Græco ſermone. Omitto breuitatis gratia alias rationes.

Mihi vel hæc vna ſufficit, quod licet fons ille nunq̃ lutulentus, ſed ſemper & vbique limpidus flueret; adhuc tamẽ omnia ad Hebraicum textum iam poſt tot ſæcula corrigenda & exigenda eſſe non perſuaderes, vel ob id ſolum, quod qui omnia ad hoc perpendiculum exigunt, diuerſiſſimas prorſus verſiones & interpretationes nobis procudunt. Et quidem multis in locis tam diuerſas, vt iurare poſſis, non eſſe eiuſdem libri, ſed diuerſorum auctorum diuerſos interpretes, qui vertendo & reuertendo Hebraicum textum, non tam vertunt ſcripturas, quàm euertunt, digniſſimi, qui ſolum iubeantur vertere. Notauit iam olim inuictus ille pro domo Dei athleta Ioannes Cochlæus hanc vertendi licentiam & libidinem in Luthero, Pellicano, Felino ſeu Bucero, Munſtero, Oecolampadio, Zwinglio, & aliis, qui vel integrum teſtamentum vetus, vel partem eius ex Hebraico peruerterunt, prolatis exempli & ſpeciminis gratia vno vel altero loco præclarè ab Hæreticis iſtis Rabbinis accepto, quorum primus ille apud B. Dauidem. *Tecum principium in die virtutis tuæ* &c. Secundus ille Iſaiæ, *confundentur enim ab Idolis, quibus ſacrificauerunt, & erubeſcetis ſuper hortis, quos elegeratis.* Non exſcribo, ne longior fiat oratio. Eadem fides & concordia cum cæteris apparet in Leone Iuda, Caſtalione, Mollero, Iunio, Emmanuele Tremmelio, & in aliis Iudaicis vel Iudaizantibus Bibliorum Hebraicorum verſoribus, qui te, ſi eis obtemperes, tam incertum de ſententia ſcripturæ reddent, vt ſi omnibus fidem habere velis, nihil omnino credas, quandoquidem tam diſcrepantia ſimul credi nequeunt, aut ſi vni potius, quàm alteri te addicas, ſtultitiam tuã prodas, qui ſine ratione huic potius, quàm alteri auſcultandum putes, cum omnes eodẽ ouo ſint progeniti, pariq; inſolentiæ verſionis.

Cochlæus lib. de ſcript. auctorit. contra Bulling. cap. 5.

Digitized by Google

verſionis ſuæ ſinceritatem iactent. Quaſi verè 70. Interpretes & ſanctus Hieronymus, & qui tot ſæculis hos, tanquam fideliſſimos Magiſtros ſecuti ſunt, Hebraicæ linguæ & ſacrarum litterarum peritiores non extiterint, vt proinde longè prudentius, Chriſtiane, ſaluti que tuæ conducibilius agas, ſi tot annorum centuriis corroboratam interpretationem, tantoſque Interpretes acceptes, quam ſi nouitiis iſtis, vt à Cochlæo appellantur, *Hebræiſtis* te non inſtruendum, ſed deſtruendum committas, quibus inter ſe maior eſt pugna & contentio, quàm nobiſcum. *Nemo inde ſtrui poteſt*, inquit Tertullianus, *vnde deſtruitur; nemo ab eo illuminatur, à quo contenebratur. Satis autem nequeo mirari*, aiebat ſanctus Auguſtinus, *ſi aliquid adhuc in Hebræis exemplaribus inuenitur, quod tot interpretes illius linguæ peritiſsimos fugerit. Omitto enim ſeptuaginta, de quorum vel Conſilij vel Spiritus maiore concordia, quàm ſi vnus homo eſſet, non audeo in aliquam partem certam ferre ſententiam, niſi quod eis præeminentem auctoritatem in hoc munere ſine controuerſia tribuendam exiſtimo: Illi me plus mouent, qui cum poſteriores interpretarentur, & verborum locutionumque Hebræarum viam atque regulas mordicus, vt fertur, tenerent, non ſolum inter ſe non conſenſerunt, ſed etiam reliquerunt multa, quæ tanto poſt eruenda & prodenda remanerent.* Si hæc de Hebraicis Interpretibus ſuæ ætatis, atque adeo de ipſo, & in ipſum ſanctitate pariter & eruditione linguarumq; cognitione præſtantiſſimum Hieronymum dicebat ſanctus Auguſtinus, meliore iure hodiernis interpretibus id occinemus, cum à priſcis illis, vt tempore, ſic & Hebraica eruditione longiſſimè abſint: In quemlibet quoque illorum multo aptius quadrat illud ſancti Auguſtini dilemma, quàm in ſanctum Hieronymum: *Aut obſcura ſunt* (quæ interpretaris) *aut manifeſta. Si enim obſcura ſunt, te quoque in eis falli potuiſſe non immeritò creditur. Si autem manifeſta, ſuperfluum eſt te voluiſſe explanare, quod illos latere non potuit.*

Tertull. de præſcr. cap. 12.
S. Aug. epiſt. 8.
S. Aug. loc. cit.

Quod autem hoc loco ſanctus Auguſtinus de vnanimi illo 70. Interpretum conſenſu ſententiam ſuam non vult interponere, eam alibi, & quidem ſumma cum 70. Interpretum commendatione interponit. Ait enim præter cætera, eos, illo ipſo ſpiritu diuina oracula vertiſſe, quo Prophetæ eadem protulerunt, & in literas retulerunt. *Spiritus qui in Prophetis erat, quando illa dixerunt, idē ipſe erat etiā in LXX viris, quando illa interpretati ſunt.* Et; *Eccleſiæ Chriſti tot hominum authoritati, ab Eleazaro tunc Pontifice ad hoc tantum opus electorum, neminem iudicans*

S. Aug. lib. 18. de ciuit Dei cap. 42. 43.

Iudicant præferendum, quia etſi non in eis vnus apparuiſſet Spiritus ſine dubitatione diuinus; ſed inter ſe verba interpretationis ſuæ ſeptuaginta docti more hominum contuliſſent, vt quod placuiſſet omnibus hoc maneret, nullus eis vnus interpres debuit anteponi. Quanto minus ergò & his & S. Hieronymo anteponemus iſtos nouellos verſores, tam inter ſe diſcrepantes, & ſpiritu diuino vacuos.

At malè habet tam iſtum, quàm alios Prædicantes, quod Gregorius de Valentia ſcripſit; *Poſt Concilium Tridentinum Hebraica Biblia potius ad Latina, quàm verſa vice,* Latina ad Hebraica caſtiganda eſſe. *Increpet te Dominus Sathana;* vociferatur Hunnius. *Verba legis dicitis,* ait ad Petilianum ſanctus Auguſtinus, *ſed in quos dicatis, non attenditis: ſicut diabolus verba legis dicebat; ſed cui diceret, non agnoſcebat:* ita iſte Prædicans verba Domini ad Satanam hic vſurpat. Et ea increpatione, qua ipſe olim in Satana increpitus fuit, Valentianum increpat. Nam vt olim *Satan ſtabat à dextris Ieſu magni Sacerdotis, vt aduerſaretur ei,* ita iſte Lutheranus Satan ſtat à dextris Valentiani, ſummi Theologi, vt eum criminetur & traducat. Sed à Satana hoc repetet ſua verba Dominus, in eumque denuo conuerſa tanquam fulmen quoddam vibrabit. *Increpet Dominus in te Satan; & increpet Dominus in te, qui elegit Hieruſalem.* Quid enim Gregorius de Valentia ſcripſit aut dixit, quod veritati & rationi non ſit conſentaneum, quandoquidem Tridentina Synodus veterem & vulgatam editionem approbauit, & ab omnibus pro authentica haberi voluit, ſeuereq; interdixit, *vt nemo illam reiicere, quouis prætextu, audeat vel præſumat.* An non poſita hac ſynodi ſanctione rectè ratiocinatur Gregorius de Valentia, licet ratiocinatio eius, Satanæ eiuſq; miniſtris diſpliceat, qui ab illa Eccleſia, à qua Codices ſacrarum literarum Hebraicos, Græcos & Latinos, eorumque numerum acceperunt, vt vel inuiti fateri coguntur, ſenſum & interpretationem tam ſententiæ, quàm verſionem linguarum in alteram linguam accipere nolunt; quaſi non æquè à Spiritu S. Eccleſia regatur, cum definit, quis ſit genuinus ſcripturæ ſenſus & quę editio authentica, per omnia, quod ad ſententiā attinet, Spiritus ſancti menti conſentanea; ac cum definit, qui nam ſint libri Canonici; aut ſi in hoc capite falli poteſt, tum Hæretici de numero Canonicorum librorum nihil exploratū habent, quandoquidem aliunde libros Canonicos oſtendere nequeunt, niſi ex Eccleſiæ auctoritate & traditione, vt Hunnius in Ratiſbonenſi colloquio, tametſi corpore & animo repugnans, confiteri coactus eſt.

S. Augu. lib. 2. contra Petil. cap. 51.

Zachar. 3.

E Quanto

Quantæ autem ſtultitiæ eſt, accipere ab Eccleſia libros Canonicos, & ab ea non accipere Canonicorum librorum legitimam interpretationem, & ex primæuo idiomate in aliud translationem? *Cur non apud eos potiſſimùm diligentiſſimè requiram*, inquit ſanctus Auguſtinus, *quid Chriſtus præceperit* (en ſententiam veram ſcripturæ, quæ non niſi vera verſione innoteſcit) *quorum auctoritate commotus, Chriſtum aliquid vtile præcepiſſe iam credidi? Tu ne mihi melius expoſiturus eris, quid ille dixerit* (& quæ ſit vera verſio) *quem fuiſſe, aut eſſe non putarem; ſi abs te mihi hoc commendaretur eſſe credendum? Hoc ergo credidi, vt dixi, famæ celebritate, conſenſione, vetuſtate roborata. Vos autem & tam pauci, & tam turbulenti, & tam noui nemini dubium eſt, quin nihil dignum auctoritate proferatis. Quæ igitur iſta tanta dementia eſt? Illis crede Chriſto eſſe credendum: & à nobis diſce, quid dixerit. Cur obſecro te? Nam ſi illi deficerent, nec me quicquam docere poſſent: multo facilius mihi perſuaderem, Chriſto non eſſe credendum, quàm de illo cuiquam niſi ab his, per quos ei crediđiſſem, diſcendum.*

S. Auguſt. lib. de vtilit. credendi cap. 14.

Ego, inquit alibi ſanctus Auguſtinus, *Euangelio non crederem, niſi me catholicæ Eccleſiæ commoueret auctoritas. Quibus ergo obtemperaui dicentibus, credite Euangelio, cur eis non obtemperarem dicentibus mihi, nolite credere Hæreticis* nouas & diſcrepantes verſiones & interpretationes in ſingulos dies cudentibus, ſed veterem & vulgatam editionem, quæ longo tot ſæculorum vſu in ipſa Eccleſia probata eſt, *in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro authentica habete*, & fortiter defendite tam contra Hebræiſtas in veteri, quàm contra Græciſtas in nouo Teſtamento. Quanta enim Hæreticis diſcordia eſt in translatione veteris Teſtamenti ex Hebręo, tanta propemodū iiſdem eſt in Translatione noui ex Græco, vt abundè teſtantur verſiones Bezæ, Caſtalionis, & Eraſmi, vt alios prætercam, quibus omnibus non tam curæ eſt, vt veram, quàm vt nouam ſententiam proferant.

S. Aug. contra epiſt. Manich. cap. 5.

Sed contra hæc obiicit Hunnius. 1. *Leo X. laudat Eraſmum ſua in nouum Teſtamentum verſione vulgatam illam frequentiſſimè corrigentem, multiſque in locis reiicientem. En tibi conſonantiam concilij & Pontificis. 2. Arias Montanus ſæpè corrigit vulgatam editionem veteris Teſtamenti. 3. Idem facit Santes Pagninus. 4. Ipſum Pontificale Romanum veterem editionem deſerit, dum citat locum Apoſtoli. 1. Timot. 3. non enim ait, vt Epiſcopus ſit vnius vxoris vir, vt habet vetus translatio: ſed non plurium vxorum vir.*

Theſ. 30. & ſeq.

Ad primum reſpondeo, non eſſe argumentum, ſed mendacium; non enim laudat Leo Eraſmum veterem editionem corrigentem, & ſæpè reiicientem, ſed ſtudium, quod Pontifex in Eraſmo putabat candidum & ſincerum eſſe, laudat: multo minus verſionem illam tanquam authenticam approbat, aut vulgatæ editioni præfert, neque enim vllum diploma, vt Pontifex, hac de re edidit, ſed tantummodo, vt literarum & literatorum inſignis patronus (hac enim laude maximè claruit Leo) indefeſſum Eraſmi laborē ſibi etiam dedicatū commendare voluit. Qua commendatione nihil minus inſtituit, quàm errores & lapſus Eraſmi laudare, aut ſinceritati veteris interpretis anteponere, imo omnibus eruditis liberam Eraſmi refutandi poteſtatem permiſit. Quo factum eſt, vt ſtatim ex omnibus prope mundi Chriſtiani partibus procederent, qui translationem Eraſmianā cum Annotationibus, grauiſſimis cenſuris inurerent, & hallucinationes eius patefacerent, & profligarent; ex quorum numero Latomus, Stapulenſis, Leus, Stunica, Sanctius, Natalis Beda, Theologi Pariſienſes, Albertus Carporum Princeps, Sepulueda, & alij, aduerſus quos plures dentatas Apologias Eraſmus euomuit, quæ in nono operum Eraſmicorum Tomo exſtant. Quoties Beza, aliique ſectarij, Eraſmi verſionem carpunt?

Addo & illud, non mirum fuiſſe Eraſmum literas à Leone impetraſſe, quia nondum liquidò conſtabat, quale monſtrū Eraſmus eſſet. Et eruditi viri, quibus aula Leonis abundabat, facilè Pontifici perſuadere poterant, vt lucubrationem eius, quem, vt nominis claritate conſpicuum, admirabantur, laudibus immeritis afficeret, quia Eraſmus lupum ſub ſpecie ouis inſigniter celare norat. Quicquid ſit, Leo X. à Concilio Tridentino non diſſentit, cum Eraſmi editionem nec vulgatæ prætulerit, nec tanquam authenticam approbârit, quod Synodus Tridentina facit. Imo ſi Leoni X. diuturnior lucis vſura obtigiſſet, cum verſione & annotationibus Eraſmicis idē egiſſet, quod Paulum IV. egiſſe Kemnitius non ſine ſtomacho refert. Retuliſſet videlicet in Indicem librorum damnatæ lectionis, donec ab erroribus expurgatæ in lucem hominumque conſpectum venirent, quod ab aliis item Pontificibus de Eraſmicis monumentis decretum videmus; etſi quædam ſimplicer tanquam emendari neſcia, perpetuis tenebris, vel potius foco adiudicarint.

Ad ſecundum reſpondeo, ſi Arias Montanus contra Concilij Tridentini decretum vulgatam editionem reiiceret aut improbaret,

Digitized by Google

nihil aliud inde meritò concluderes, quàm eum malè facere, veſtriq; quod ad hoc quidem factum attineret, ſimilem eſſe. *Sed abſit, abſit hoc malum de tanto viro credere, aut dicere*, vtar enim verbis S. Auguſtini, quibus S. Ioannem Chryſoſtomum à calumniis Iuliani Pelagiani defendit: Abſit, vt Arias Montanus tot ac tantis Epiſcopis, & Doctoribus, maximè Romano Pontifici & Tridentinæ ſynodo reſiſtat. Non repudiat veterem interpretationem, ſed explicat, id enim ipſe diſertis verbis fatetur. Tu putas non ſeriò locutum, metu ſynodi, *ne excommunicationis fulmen aduerſus ſe concitaret*. At ego te alienæ mentis malum interpretem eſſe aio, nec vulpem audio, ex duplici ſua mente ſimplices aliorum animos æſtimantem: At probas, quod blateras. *Montanus tollit crimen falſi.* Geneſ. 3. (*ipſa conteret caput tuum.*) *& ex Hebræo reddit. Ipſum.* Vocatne Montanus tranſlationem illam, quam inſectaris, *crimen falſi?* an à te ipſo crimen falſi comminiſceris? Tam rudis non fuit Montanus, quam tu, vt ignorarit vtramque lectionem tolerari poſſe, eundemque ſenſum effici, ſeu *ipſa*, ſeu *ipſe*, ſeu *ipſum* legatur: & illam noſtram, *ipſa*, non nuper inuentam, ſed ab antiquiſſimis Patribus vſurpatam eſſe: de quo plura cum alij, tum Bellarminus.

S. Auguſt. lib. 1. contra Iulia. cap. 2.

Nec propterea ruet dogma de inuocatione ſanctorum, ſi Montanus Geneſ. 48. non vertit *Inuocetur ſuper eos nomen meum*; ſed *vocetur in eis nomen meum*, tum quia ex vtraque verſione idem ſenſus elici poteſt; tum quia hic non eſt ſolus & vnicus locus ex quo Catholici inuocationem ſanctorum probent; tum denique quia 70. Interpretes noſtræ lectioni adſtipulantur, κὴ ἐπικληθήσεται ἐν αὐτοῖς τὸ ὄνομά μου. *Et inuocabitur in eis nomen meum.* Non puto autem Hunnium aut tam inſipientem, aut tam impudentem fore, vt neget ἐπικαλεῖν idem eſſe quod *inuocare.* Nihil etiam vulgatę editioni officit, quod illud Pſalm. 138. *Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui DEVS, nimis confortatus eſt Principatus eorum*, aliter Montanus vertit, quia à verſione noſtra ſtant 70. Interpretes, quos linguę Hebraicę peritiores fuiſſe, q̃ omnes quotquot hoc ęuo extiterũt Iudaizantes verſores, vix opinor inficiabitur Hunnius; aut ſi inficietur, ſolita id fronte faciet. A nobis itidem ſtat Chaldaica paraphraſis imo & ipſe textus Hebraicus, vt oſtendit Hebraicę linguę doctiſſimus Genebrardus, qui nõ iniuria recentiores iſtos perſtringit, quod vocabula Hebræa in alium ſenſum accipiant, eo tantũ conſilio vt à maioribus diſſentiant. Taceo Patres

Bellar. lib. 2. de verbo Dei cap. 12.

Genebr. in Pſal. 138.

Græcos,

Græcos,& Chryſoſtomum,Theodoretum, & alios,quorum auctoritatis pondus tantum eſt, vt omnium iſtorum leuitatem in imum deprimat. Nec malè Eckius ex hoc loco ſanctorum cultum & inuocationem colligit, quicquid tu contra clariſſimum Theologum declamites: nam huius ſui facti auctorem Theodoretum habet, & ipſa ſacri contextus verba. Imo ex hoc ipſo loco, idem quod Eckius, colligit Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus, quem tui præceptores Herbrandus & Smidelinus ἁγιώτατον & σεβασμιώτατον nominant;& id genus aliis honorificentiſſimis titulis condecorant. An tu hunc,vt Eckium,& alios,*ſcriptorculi,*& *doctorculi* probroſa appellatione afficies;& encomia illa tuorum Magiſtrorum reſcindes & retractabis?quippe tantus Doctor;tam grandis,tam vaſtus & immenſus;vt omnes alii comparatione tui,puncti inſtar habeant;nihilque aliud ſint; quam *ſcriptorculi* & *doctorculi*?Sed cui? M. Egidio Hunn: Herbrandi diſcipulo, loquaciori, verboſiori, audaciori & arrogantiori quam doctiori & humiliori; licet Herbrandus eum à modeſtia & humilitate commendarit; ſed ea veritate, quæ à mendacii præcone exſpectari poterat.

Theſ. 32.

Hier. in cenſura ſua ad VVittenberg.

Ad tertium reſpondeo; Pagninum, dum verſionem vulgatam corrigit; à plurimis aliis corrigi;& tantũ non ad ferulam vocari. Correctus eſt iamdudum à Vatablo & Roberto Stephano;correctus ab aliis,quos ſupra recenſui. Correctus ad extremum; & quidem nunquã melius & ſincerius, à Montano, Raphelengio, Guidone, & Nicolao Fabriciis,qui editionem Bibliorum Regiorum procurarunt: ita fit,vt correctores vbique in correctores incurrant. Addo Pagninum vertiſſe ante Tridentinam Synodum;ac proinde mirum non fuiſſe; ſi nondum edito de certa authentica interpretatione ſynodico decreto, aliter egit;quàm nunc agere oporteat:etſi Tridentina ſynodus non prohibet interpretationes nouas ex Hebraico aut Græco;dummodo non inſtituantur euertendæ vulgatæ editionis gratia, neque venditentur pro authenticis. Quanto autem ſatius eſt Hebraicæ linguæ, qualem qualem cognitionem, conuertere potius ad vetera confirmanda;quã labefactanda, quod immortali nominis ſui gloria in Pſalterio eruditiſſimus Genebrardus præſtitit.

Ad quartum reſpondeo, à Pontificali libro citatam eſſe ſententiam S.Pauli;non verba; eo modo, quo ſæpe, ipſi etiam ſancti patres, non tam verba,quàm ſenſa ſacrarum litterarum adducere ſolēt;quod eis præter vitioſos nemo vitio vertit: nam cum S. Paulus monet, vt

Digitized by Google

Epiſcopus ſit vnius vxoris vir; nihil aliud vult, quam vt ne ſit bigamus; eſt autem, non eſſe bigamum, inter cætera etiam hoc, non eſſe aut fuiſſe plurium vxorum virum, vt loquitur Pontificale. In qua ſententiæ Apoſtolicæ explanatione, quid, oro, criminis? Et tamen hic paratragœdiat Prædicans; libroque illi Rituali diem dicit; dicamq; ſcribit, duplicem ob cauſam; quarum prima; *quod ex affirmatiua enuntiatione Apoſtoli faciat negatiuam:* ſecundò, *quod omittat illa verba: Filios habentem ſubditos cum omni caſtitate, ſi quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiam Dei curabit?*

Theſ. 36. & ſeq.

Ad primam accuſationem reſpondeo, propoſitionem Paulinam mutari quidem in negatiuam, ſed verbis, non ſenſu: Nam hæc negatiua libri Pontificalis, *non ſit plurium vxorum vir*, tantundem valet: quãtum illa affirmatiua S. Pauli; *ſit vnius vxoris vir;* hoc eſt, non ſit bigamus. Locum haberet Hunnii querela; ſi quod affirmatiua affirmat; id negatiua, negaret: quod hic non fit; ſicut nec in his duobus præceptis; quorum alterum eſt affirmatiuum; alterum, quoad verba negatiuum; *Honora parentes; Ne inhonora parentes;* alterum negat, quod alterum affirmat; verùm vtriq; eadem ſententia ſubiicitur.

Sed ait Hunnius: *Si verba Apoſtoli negatiuè concipiantur & proponantur; tunc perdi vim præcepti aut requiſiti matrimonii Doctorum Eccleſiæ; en aſtum Satanæ*, inquit Prædicans. Quid ais Hunni? itáne verbis ſupradictis præcepit Apoſtolus miniſtris Eccleſiæ matrimonium? Itáne vxorium iugum, tanquam miniſterii Eccleſiaſtici neceſſariam conditionem, requiſiuit? Ille Apoſtolus, qui omnes volebat eſſe, *ſicut ſemetipſum*; ille, qui aut vxorem nunquam habuit, vt probatiſſimi ſcriptores meritiſſimò ſibi perſuadent; aut ſi maritus fuit, vocatus ad Apoſtolatum maritus eſſe deſiit: neque enim minus, quàm cæteri Apoſtoli dicere poterat; *Ecce nos reliquimus omnia*, inter quæ omnia, vna etiam pars vxor erat; ſi ducta eſſet. Quid ergo verbis illis voluit Apoſtolus, *ſit vnius vxoris vir*? Nihil aliud, quàm vt ne ſit bigamus; ſed vt quis non ſit bigamus; non oportet, vt aut vxorem habeat, aut aliquando habuerit, nam & cælebs non eſt digamus. Si ex præcepto Apoſtoli Pauli nemo poterat eſſe Epiſcopus; niſi qui vnius vxoris vir eſſet; non poterant ergo Timotheus & Titus Epiſcopatu fungi, quia vxorati non erant: aut oſtendat Hunnius ex ſcriptura, quando & quaſnam vxores duxerint. Accedit, quod Ariſtippicum & pluſquam Iouinianiſticum eſt dicere, vxorem ad Eccleſiaſticum miniſterium neceſſariam conditionem eſſe. Non te pudet Hunni huiuſmodi abſurdita

1. Cor. 7.

Matth. 19.

ditatum, vel potius turpitudinum? *Miror, ſi habet in corpore ſanguinem,* inquit S. Auguſtinus, *qui hac de re non erubeſcit*: Sed ex Labyrintho loqueris; ex quo quidquid eſtutias; nihil à Labyrintho alienum actitas. Mirabar hactenus, cur nullus apud Lutheranos cælebs Prædicans reperiretur. Mirari deſino, poſtquam intelligo, Apoſtoli præceptum eſſe, vt quiuis Prædicans ſit vnius vxoris vir. Illud tamen adhuc miror, quomodo hoc præceptum (ſi, vt vultis præceptum eſt) tranſcendere, & ad ſecundam; tertiam; imo & quartam vxorem procedere audeatis. Exempla ipſemet nullo negocio inuenies: Mihi in præſenti occurrit Franciſcus Iunius, qui in hiſtoria vitæ ſuæ rerumque à ſe geſtarum; præter cætera Dei in ſe beneficia, etiam hoc prædicat; quod quatuor vxores diuinitus adeptus ſit. At quid Paulus, ex interpretatione Prædicantium? *Sit vnius vxoris vir; vnius,* inquit, *non duarum; non trium; multo minus quatuor.* S. Auguſt. epiſt. 164.

Sed Prædicantes textui huic aptam ſcilicet gloſſam excogitarunt. Sit, inquiunt, vnius vxoris vir; verùm vno tempore; non plurium vno & eodem tempore, tametſi poſſit plurium vxorum vir eſſe, ſed diuerſo tempore. Pulcherrima expoſitio, & ex intimis Islebienſis Euangelii viſcerib. eruta. Nimirũ Apoſtolus perfectiones miniſtrorũ noui Teſtamenti enumerans, nihil aliud voluit, q̃ vt id non ageret, quod omnes Chriſtiani prohibitum ſibi ſtatim à promulgata Chriſti diſciplina, norant, videlicet ne ſimul plures vxores haberent. Quæ iſthæc ſupra cæteros mortales perfectio? Anne vnquã apud Chriſtianos Polygamia iſta in vſu fuit, vt neceſſe eſſet, S. Paulum tam ſeriò & ſedulò monere, ne Epiſcopus, aut alius diuino cultui dedicatus, plurium vxorum maritus ſimul eſſet? Aliud ergo hac inſtitutione ſua ſpectauit S. Paulus; cuius ſcopum iam ſuprà explicauimus: aliud ſpectant Prædicantes, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί, ſiue γαστέρας ἀργὰς velimus interpretari, vt hactenus, *ventres pigros & ignauos*; ſiue cum nouis Criticis, μαργὰς *edaces & voraces.* Canter. lib. 1. Nou. lect. c. 15.

Iam verò, vt ad ſecundam accuſationem veniamus; quod pontificale præterit illa verba: *filios habentem ſubditos, &c.* id concoquere nequit Hũnius; quid ita verò? An in Epiſcopũ; aut, vt vobis loqui placet, Superintẽdentẽ ordinari nõ poteſt, niſi q̃ filios habet? *Quis hoc diceret,* inq̃t S. Auguſtin', *niſi nollet cõſiderare, quid diceret? At Apoſtolus vult, vt domui ſuæ præſit; quia ſi quis domui ſuæ præeſſe nequit; quomodo Eccleſiã Dei curabit?* Rurs' verba S. Auguſt. vſurpo. *Crede (mihi) nemo legẽ (Apoſtolũ) ſicut iſte intelligit; niſi qui nõ intelligit.* Ergo Apoſtoli Eccleſię miniſtri S. Auguſt. epiſt. 86. S. Auguſt. epiſt. 24.

eſſe

Matth.19. eſſe nequibant; quia domum ſeu familiam nullam poſſidebant. Verè enim Petrus omnium loco & nomine profeſſus fuerat: *Ecce nos relinquimus omnia*: Nec ipſe Paulus, qui hæc ſcripſerat, Epiſcopus eſſe poterat; quia domo & familia carebat. *Arbitror*, ait S. Auguſtinus Creſconio, & ego tibi; *te non ſolùm verba tua non conſideraſſe conſcribenda; ſed nec legiſſe conſcripta. ſcripſiſti hæc*, vt idem S. Auguſtinus eidem obiicit; *prorſus non cogitans, literas tuas ſani capitis habituras eſſe lectorem.*

S. Auguſt. lib 3 contra Creſcon. cap. 17.

Sed formemus ex aſſertionibus Hunnii vnam aut alteram conſecutionem; vt Dædali huius acumen magis eluceſcat. I. *Apoſtolus Paulus ſcribit, vt Epiſcopus ſit vnius vxoris vir; ergo præcipit; vt Epiſcopus cum ordinatur, vxorem habeat.* Vel: *ergo vxor eſt conditio ad miniſterium Eccleſiaſticum neceſſario requiſita.* II. *Apoſtolus ſcribit, vt qui in miniſtrũ Eccleſiæ eligitur, habeat filios ſubditos cum omni caſtitate. ergo præcipit, vt nulli ad Eccleſiaſticas functiones pateat aditus, niſi habeat Papadiam*: Sic enim recentiores Græci ſacerdotum ſuorum vxores vocant. III. *Futurus Eccleſiæ miniſter debet eſſe gnarus familiæ regendæ; quia ſi domui ſuæ præeſſe nequit; quomodo præerit Eccleſiæ; ergo oportet, vt habeat vxorem; nulla enim domus; nulla familia ſine vxore & liberis conſiſtit.* En aſtum Satanæ, has tam pulchras, ſcitas & ingenioſas conſequentias, ſupprimere & opprimere volentis, in Pontificali Romano: & opẽ tuliſſet *Tmolus* Witebergenſis iam actum fuerat.

Sed fermè exciderat omnium artificioſiſſima conſequentia; & eſt iſta. *Pontificale Romanum Venetiis anno 1572. editum, ait, neceſſe eſſe, vt qi i ſacris ordinibus initiatur; non ſit plurium vxorum vir*, (exponit enim ſententiam S. Pauli, & quidem negatiuè, vt exponi debet) *ergo pontificale Romanum contradicit Tridentino Concilio, mandanti, vt vetus & vulgata editio ab omnibus, tanquam authentica, ſuſcipiatur & colatur.* Ecce nodum Gordium; à quo te ſoluendo nunquam, ſed tantummodo rumpendo expedias.

Theſ. 40 & ſeq. Bell lib. 3. de verbo Dei, c. 3. Cuſan epiſt 2. 3.7.

De ſenſu ſcripturæ, ait Prædicans; *diſſentiunt duo præcipui Cardinales; Cuſanus & Bellarminus: quorum iſte ex ſolo litterali ſenſu argumenta efficacia peti docet. Econtra; Cuſanus, ait ſcripturas eſſe ad tempus & variè intellectas, ita vt vno tempore ſecundum currentem vniuerſalem ritum exponeretur; mutato ritu, iterum ſententia mutaretur. Item, mutato iudicio Eccleſiæ, mutatum eſt & Dei iudicium. Et rurſum; nec mirum eſt, inquit, ſi praxis Eccleſiæ vno tempore interpretatur ſcripturam vno modo, & alio tempore alio modo.* Reſpondeo I. etiamſi verum eſſet, quod aut Cuſanus ſcribit; aut tu eum ſcripſiſſe refers; non tamen apparet, quomodo te hic à men-

mendacii culpa abſoluam. Nam quod Bellarminus ait, ex ſolo litterali ſenſu efficacia argumenta peti poſſe; id non negat Cuſanus;non ergo contradicit Cuſanus,quod ad hanc quæſtionem attinet,Bellarmino, aut Bellarminus Cuſano. Nam licet faceremus verum eſſe,quod Cuſanus affirmat: verè tamen adhuc affirmaret, ex ſolo litterali ſenſu, licet variabili,argumenta efficacia duci: Efficacia enim eſſent pro tempore,quo ſenſus ille litteralis à verbis illis verè ſignificaretur & repræſentaretur. Mentiris ergo cum inter hos Cardinales, quo ad iſtam quæſtionem, diſſidium comminiſceris.

Deinde tu & alii Prædicantes,quibus hæc verba Cuſani ſemper in ore verſantur, ſolemne veſtrum hic etiam tenetis: circumuolitatis Catholicorum monumenta non diſcendi, ſed calumniandi gratia: & ſi quid vel obſcurius aut horridius dictum reperitis; id, ſicut paſtores apud Virgilium, Sinonem, ingenti clamore in medium trahitis & rapitis,quaſi vnus error, aut incommodè prolata ſententia, toti Eccleſiæ præiudicet, & concordiæ fundamenta ſubruat: vt taceam, ſcriptores interdum quædam protuliſſe; quæ eo tempore à lectoribus eo candore accipiebantur; quo proferebantur; cum huiuſmodi ſycophantis, quales vos eſtis, mundus adhuc careret. *Certè antequam in Alexandria tanquam dæmonium meridianum Arius naſceretur, innocenter quædam & minus cautè locuti ſunt;* (Doctores) *& quæ non poſſint peruerſorum hominum calumniam declinare*, inquit S. Hieronymus. Et S. Auguſtinus explicans aduerſus Iulianum Pelagianum obſcurius quoddam S. Ioannis Chryſoſtomi de peccato dictum; *Vobis*,inquit,*nondum litigantibus ſecuriùs loquebatur*. Vt igitur Pelagiani, Ariani, & alii ſectarii, olim dicta quædam ſcriptorum Eccleſiaſticorum; aut pro ſe arripiebant; aut quaſi falſa & abſurda traducebant;ita & vos,noui hæretici,veterum viperarum genimina,facitis. Mores enim hæreticorum antecedentium transfunduntur ad ſucceſſores.

S. Hier. lib. 2. contra Rufin. cap. 4.
S. Auguſt lib. 1 cõtra Iulian. cap. 2.

Verùm iure Cuſanus, ſi viuat, conqueratur cum Dionyſio Alexandrino de obtrectatoribus ſuis;quod non integrè ipſius ſcripta, ſed truncatim adducant;*neque bona conſcientia aut ſinceriter, ſed pro libidine rem tractent*. Nam ſi Hunnius & alii Prædicantes diſputationem Cuſani chartis ſuis adſcriberent;aut ſaltem ſcopum & mentem eius fideliter explicarent; mox cunctæ criminationes in auras euaneſcerent. *Quapropter*, vt verba S. Athanaſii aduerſus criminatores Dionyſii Alexandrini ad propoſitum noſtrum accommodem,*ſi non obiter & perfunctoriè eius viri ſcripta legerint, indicent mihi quale argumentum ſcopumque*

S. Athan epiſt. de Dionyſ. Alexand.

que epiſtolæ ſecutus ſit; ſi id fecerint, calumniam ſuam, animique prauitatem in lucem proferent. Cæterum, quia iſtic tergiuerſaturi ſunt, vel inſcitia eius ſcopi, vel verecundia, neceſſarium videtur, vt ego illud dicam. Nihil enim aliud vult Cuſanus; quam Eccleſiæ officium eſſe; vt ſcripturæ ſenſum explanet: ſcripturaſque ita accommodatas eſſe, vt quod vno tempore ſcripturæ conſentaneum eſt, alio ſit diſſentaneum; mutatis videlicet conditionibus, ſeu circumſtantiis loci, temporis, perſonarum, & id genus aliis: idque potiſſimum elucere in præceptis & conſuetudinibus tradit, vt V. G. olim ſcripturæ conſentaneum erat; vt Sabbatum coleretur; & aliæ legis ceremoniæ obſeruarentur; item vt à ſanguine & ſuffocato abſtineretur; hodie mutatis circumſtantiis id non eſſe amplius ſcripturæ conueniens. Item ſi Eccleſia præcipiat, vt fideles Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie percipiant; id ſcripturæ quadrare; contrarium non quadrare. At ſi mandet, vt vna ſpecie contenti ſint; illud tunc ſacris litteris conforme eſſe; quæ iubent, vt Eccleſiæ obtemperetur; dictoque non audientem pro ethnico & publicano reputari volunt.

Quæ Cuſani ratiocinationes veræ ſunt; quidquid in contrarium prædicantes Stentoreis vocibus clamitent, cum Eccleſia ſit columna & firmamentum veritatis; eiuſq; voluntas à diuina voluntate diſcrepare nequeat, vt copioſè Cuſanus demonſtrat: licet modus loquendi Cuſani paulò ſit horridior & durior, præſertim abruptus à reliquo ſermonis corpore; prout à Prædicantibus abrumpitur; quia niſi abrumperetur, conuiciandi materiam non haberent. Illa tamen verba: *mutato iudicio Eccleſiæ, mutatum eſt & Dei iudicium*; cupio mihi in Cuſano monſtrari ab Hunnio, denotata pagina & linea epiſtolæ, ſiue ſit ſecunda ſiue tertia ſiue ſeptima; has enim nominat Hunnius. Etſi nihil eſt in hoc ipſo dicto impietatis. Mutatur. n. Dei voluntas; at immutabiliter: videlicet non in ſe, & ſua entitate, ſed extrinſecus, & ex parte *obiecti*, quod mutationis genus neceſſariò in Deo ſtatuendũ eſt. Nam idẽ Deus, qui olim voluit legem Moſis obſeruari; is vult, vt hoc gratiæ ſtatu, nõ obſeruetur. Idem, qui olim præcepit circumciſionem, iam præcipit, vt nemo circuncidatur. Ille idem, qui vult Euchariſtiam ſumi à laicis ſub bina ſpecie; vult etiam, vt ſumatur ſub vna; quando Eccleſia ſponſa Chriſti, falli & fallere neſcia, id mandat: ſic iudicium Dei mutatur, ſed, vt dixi, *immutabiliter*; ſine ſucceſſione aut deſitione, nouaque productione actuum in diuina voluntate; ſola mutatione in obiecto externo facta.

Q Ie-

O lepidum igitur Labyrinthum; ex ſolis fraudibus & impoſturis Hunnianis exſtructum (remittam enim vociferationes Hunnianas ad auctorem) O Vertumno magis verſatilem Hunnium ad calumniandum;& ô egregiam columnam regni Lutheriſtici. O Hunnium perditè improbum & deploratè φαγολοίδορον (niſi malit λοιδοροφάγον) qui aliena ſcripta truncat; mutilat, in peregrinum ſenſum contra auctoris ſenſum torquet; eo duntaxat fine; vt magnam ſycophantiarum ſtruem congerat & accumulet; voceſque blaſphemas & extremè hæreticas in Papam, Cardinales, alioſq; orthodoxæ fidei propugnatores & ſectatores iactet.

S. Hier. epiſt. 119.

Sed progrediendum eſt in Labyrintho. Inter cæteras cauſas, cur non expediat rudi plebeculæ, indiſcriminatim, vulgari lingua; Bibliorum lectionem permittere; hanc etiam adducit Bellarminus; *ne dum imperiti ex canticis canticorum legunt; oſculetur me oſculo oris ſui; & leua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me: Et illud Oſeæ: Vade & fac tibi filios fornicationum: nec non adulterium Dauidis, inceſtum Thamar, mendacia Iudith, &c. Periculum ſit, ne incitentur ad imitandum.* Occurrit Hunnius; *Poſſemus reſpondere primò, eſſe fallaciam cauſæ;* Quo reſponſionis genere, quàm frequenter Prædicans iſte, eiuſque gregales vtantur, his auribus in Colloquio Ratisbonenſi audiuimus. Videlicet, quoties aliud quod dicat non ſuppetit; ſemper hoc vel aliud ex eadem officina ſuppetit, vt alibi oſtendi. Et quænam in hac Bellarmini ratione fallacia cauſæ?

Bell. lib. 2. de verbo Dei, c. 15

Theſ. 45.

Secundò, *poſſemus retorquere; multò magis à lectione iſtorum locorum arcendos* Monachos *& ſacrificulos, quorum caſtitas admirabilis orbi nota & decantata eſt.* Si poſſes, vtique retorqueres: homo plus quam poſſis, agere doctus. Quod de Monachis & *ſacrificulis* adiungis; id fateor verum eſſe, ſi intelligas de illis, qui ad vos ſe transferunt; qualis Lutherus, multos dies ante funeſtas nuptias cum ſua Borrha funeſtè congreſſus; qualis Coruus ille, qui nuper ad vos auolauit; magno tuo tuorumque collegarum applauſu exceptus, quaſi Phœnicem, non coracem cepiſſetis; quales alii innumeri; quorum admirabilis caſtitas orbi nota eſt & decantata; quos blanda Venus ſub honeſtiſſimi puri Euangelii prætextu ad veſtra caſtra pellicit & auocat. Quotus enim quiſque eſt, qui alia cauſa impulſus; nomen in diſciplinam veſtram tradat? *Ita natura comparatum eſt,* inquit Damaſcenus ex Euagrio, *vt mens pura veritatē cernat; ac Deus ſe ei ſpe-*

Damaſ. lib. 1. Parallel. c. 12. in fine.

ſpectandum præbere ſolet. Itaque omnes illi, qui à veritate aberrarunt, ob id aberrarunt, quia improbè & ſceleratè vixerunt. Puniuntur ergo hæretici, non quia hæretici ſunt, ſed quia malè & flagitioſè vixerunt. Neque enim fieri poteſt, vt quiſquam hæreticus fiat, niſi prius vel in verbis, vel in actionibus, rationes vitæ ſuæ malè compararit. ſed ad lineam.

Theſ. 47. & ſeq. Vt prædicans rationem Bellarmini debilitet; Labyrinthum ſuum pingere & imaginibus ſtatuiſque exornare incipit; accerſito ex Italia pictore quodam & ſculptore, *qui*, vt inquit, *admirabilis eſt, in exprimendo nuda corpora hominum & pudenda: quæritque quænam plus moribus honeſtis officiant: taléſne picturæ & ſculpturæ in templis omnium conſpectui propoſitæ; an lectio ſcripturæ ſacræ iis in locis, vbi ſcortationes; adulteria, & huius notæ alia commemorantur.* Reſpondeo, ſi Bellarminus aut Catharinus, aut vlli alii honeſtatis amantes, huiuſmodi obſcænarum imaginum abuſum probarent: rectè fortaſſis Bellarminum & alios refelleres; qui integritatis & pudicitiæ conſeruandæ gratia, nollent ſcripturas in vulgarem linguam transferri; interimque huiuſmodi imagines laudarent, & vt in templis pingerentur, aut erigerentur; auctores aut certè ſuffragatores eſſent. Nunc cum Bellarminus tales imagines deteſtetur, & Catharinus in eaſdem grauiſſimè inuehatur; *Concil. Trid. ſeſſ. 25.* ipſumque Tridentinum Concilium mandarit, vt ab Epiſcopis magna diligentia & cura adhibeatur, *quò in his nihil inordinatum, aut præpoſterè & tumultuariè accommodatum, nihil profanum, nihilque inhoneſtum appareat, cum domum Dei deceat ſanctitudo*: non video quomodo Bellarmini rationem infirmes: neque enim quia per abuſum data eſt alicubi mortalibus occaſio ad turpitudinem; ideo ad eandem per alium abuſum materies ſubminiſtranda eſt: quia vt ſemel peccatum ſit, haud tamen iterum peccare licet.

Nec tu tam vehementer debacchari potes, in eiuſmodi abuſum; quàm vehementer eum auerſantur orthodoxi, ſed diuerſo fine; illi, vt ſalutari vſu retento, tollant, quod abuſus introduxit; tu vt vſum cum abuſu non ſine furore eradices; idque quod paucis locis, ſtudio inimici hominis, zizania bonæ ſegeti ſuperſeminantis, accidit; ad vniuerſam Eccleſiam transferas; quaſi vbique locorum imagines laſciuæ proponantur. In quo quidem Hunnii, hoc eſt, eximii criminatoris perſonam egregiè tueris. Quæ enim hæc improbitas ab imaginum quarundam nonnullis in locis abuſu; quem noſtri & verbis & factis exſtirpandum docent; argumentari, quaſi in omnia templa deformis iſte abuſus irrepſerit, aut quaſi communi omnium ſuffragio receptus fue-

Digitized by Google

fuerit; non ſine inſinuatione Iconoclaſtica imagines penitus exterminandas eſſe; ne cum vſu abuſus ſuccreſcat: qua profecto ratione efficeres, ſerendum non eſſe triticum; ne lolium intermiſceatur: nullos fabricandos enſes; ne homicidia perpetrentur: vineas non plantandas; ne Hunnius largius ſeſe inuitans, inebrietur. Quam autem Catholici gregis paſtores ſedulam operam nauent, vt remoueatur, quidquid piorum oculos in picturis & ſculpturis offendere meritò poteſt: diſcet Hunnius, ſi diſcere velit, cum ex Concilio Tridentino iam citato, tum ex Ioanne Molano; & ex illuſtriſſimo Cardinale Palęoto; qui poſt Molanum argumentum de imaginibus pingendis & effingendis copiosè executus eſt. Sed diſcere non iuuat. Calumniari tantum iuuat: alioquin iam ex Catharino; quem adducit; cognoſcere poterat Hunnius, licentiam hanc & leuitatem artificum nemini proborum placuiſſe; omneſque de remedio adhibendo, ne malum latius graſſaretur, ſeriò circumſpexiſſe. Tantum abeſt, vt quod ſuſpicatur prædicans; orthodoxi hæc imaginum propudia, dedita opera ſibi incitamento ad libidinem eſſe voluerint. Verùm; *ſicut difficile aliquem ſuſpicatur malum, qui ipſe eſt bonus; Sic difficilè ſuſpicatur aliquem bonum, qui ipſe eſt malus*, vt recte ait auctor operis imperfecti. **Auct. Op Imperf. Hom. 5.** Qua ingenita malitia impulſus itidem prædicans, oggerit nobis hic lupanaria: oblitus, opinor, ſuorum; quæ deſtructa gloriatur: Vtinam tam verè, quàm perfrictè. Quis enim in animum inducat credere, nulla lupanaria nullaſque lupas apud illos reperiri; qui verbo & opere docent, caſtitatem eſſe ſeruatu impoſſibilem; remque Veneream æquè ac cibum potumq; & hanc ipſam, qua veſcimur, auram, eſſe neceſſariam, quique eum Prophetam doctrinæ ſuæ auctorem & ſtrategum ſequuntur: quo à condito orbe nemo turpius & impudicius ſcripſit & dixit; cuius obſcænitates & flagitioſiſſima pronunciata, quis in vnam ſtruicem ex omnibus Lutheri Tomis congeſſerit, non fugit, opinor, Hunnium. Sed ſatis in præſenti de hac materia, fuſè aduerſus Miſenum tractata.

Coronidis loco obſeruet lector, ſcitiſſimã Hunnij conſequentiam, quam hic ad ſuum Labyrinthum adiungit: *Bellarminus ait; Biblia vulgari lingua non debere proponi rudibus, ne quod ſpiritualiter accipiendũ eſt, accipiant carnaliter; præſertim in Canticis Canticorum; & Ambroſius Catharinus grauiſſimè inuehitur in illos; qui obſcænas imagines pingunt; aut publicè proponunt; præſertim in templis, ergo Bellarminus & Catharinus ſibi mutuò contradicunt in materia ſacrarum litterarum.* Vel; *Ergo Bellarminus*

larminus & Papiſtæ ſibi mutuò contradicunt in argumento diuinæ ſcripturæ. An non ſunt iſthæc pro Labyrintho Hunniano aptiſſima tigna aut columina? Sic pergite ratiocinari vos *Luthericolæ.*

Theſ. 53. & ſeq. Reſtat vltima aut penultima huius capitis fictitia contradictio; quę eſt iſta: *Pontificij negant ſcripturam eſſe iudicem omnium controuerſiarum:* Ita eſt, negamus; non ſine ratione, quod tu ſine ratione affirmas. *At hoc ipſum, quod negant, rurſus Pontificij affirmant,* inquit Hunnius; Qua tandem ratione? *Quia probaturi poteſtatem Pontificis, ad ſcripturam confugiunt, productis illis locis Matth. 16. Tu es Petrus. & Ioan. 21. paſce oues meas; ergo confugiunt ad ſcripturam tanquam ad omnium controuerſiarum iudicem.* Reſpondeo, negando conſequentiam; producitur enim ſcriptura; non vt iudex, ſed vt teſtis; nec ſententia iudiciaria ab ea petitur; *In Reſponſo ad Theſes Hunnianas.* ſed teſtimonium, de quo nuper plura aduerſus inſcitiam huius prædicantis: vbi etiam oſtendi, quomodo ſcriptura loquatur; quomodo rectè eloquium dici queat & vox; non obſtante, quod alio reſpectu appellatur *muta.* Non repeto, ne Hunniano more tantummodo chartarum explendarum gratia ſcribere videar. Ruit ergo & iſta contradictio. Et cur non rueret, cum ſit inanis, nec apud nos, ſed in maleſano ſeminiuerbij huius cerebro prognata.

Theſ. 52. Necdum finis. Ait præco: *Pontificij negant omnia dogmata fidei in ſcriptura contineri: Et tamen iactant aliqui paratos ſe eſſe de omnibus controuerſis articulis, atque dogmatibus ex ſola ſcriptura nobiſcum diſputare: ergo ſibi contradicunt.* Reſpondeo, etiam de dogmate; quod in ſcriptura non continetur, ex ſcriptura diſſeri poſſe: hoc ſi Hunnius non credit, experimento cognoſcat; collato pede, cum eo ipſo, qui ſe profitetur paratum ex ſola ſcriptura de omnibus controuerſis articulis diſputare; cum clariſſimo, inquam, viro D. Piſtorio, quem hic citat, & pro fronte ſua Hunniana, *perfrictæ frontis Apoſtatam* nominat, quod conuicium lubens prædicanti condonabit Piſtorius, non ignarus il- *Damaſ. lib. 2. Parallel. c. 81.* lius à S. Baſilio & Damaſceno traditi documenti. *Cum quiſpiam præ phreneſi mentis errore affectus, contumelioſis verbis te inſectatur; miſeratione potius, quàm odio dignum cenſe.* Ex dictis hactenus, haud obſcure cernit lector, qualis ſeſe mendaciorum, criminationum & calumniarum Labyrinthus offerat in Theſibus Hunnianis; circa primum ſtatim locum, qui eſt de ſcriptura ſacra.

Digitized by Google

CAPVT III.

De perſona Chriſti.

SI vſquam alibi, in hoc certè capite, architectus noſter mirificè ſeſe contradictionibus, vanitatibus, mendaciis, ſycophantiis & impoſturis *implicat, confundit, iugulat,* vt non tam ratiocinans, quàm febriliter delirans, iure, à quouis, quem ratio non fugit, exiſtimari queat. Docent Catholici Verbum diuinum cum ſola natura humana, quam aſſumpſit; hypoſtaticè vniri; non autem cum vlla alia re creata. Hoc dogmate dogma tranſubſtantiationis à propriis aſſertoribus per contradictionẽ euerti, vaniſſimo iſto Hunniique garrulitate & leuitate digniſſimo ſyllogiſmo demonſtrare nititur. *Corpus Chriſti eſt cum filio Dei vnitum perſonaliter, at panis ex ſententia Pontificiæ μετουσίας factus eſt ipſiſsimum illud corpus Chriſti, peruenit ergo in vnionem hypoſtaticam cum æterno filio Dei.* En ſyllogiſmum, quo imperitiorem formare fortaſſis ne imperitiſſimus quidem poſſet. Nam ſi diſtinguas minorem; quo ſe vertet prædicans? Nonne unica diſtinctione totus iſte verborum fumus diſpelletur? hac, inquam, diſtinctione; *panis remanens ſecundum ſuam ſubſtantiam, factus eſt corpus Chriſti*; nego minorem: *panis non remanens ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſed per conuerſionem in aliud quiddam conuerſus;* factus eſt corpus Chriſti, concedo minorem; ſed hinc non ſequitur concluſio: quomodo enim id, quod amplius non eſt, ſed per conuerſionem in aliud; deſiit eſſe, poteſt cum altero hypoſtaticè vniri? Si panis per tranſubſtantiationem deſiit eſſe, vt Catholica doctrina tradit; quomodo panis vniri poteſt hypoſtaticè cum diuino Verbo? An non oportet, vt illud exiſtat, quod cum altero hypoſtaticè vnitur? *Quis ita ſurdus eſt, vt hæc non audiat*, inquit ſanctus Auguſtinus,

Theſ. 60.

Digitized by Google

guſtinus; *quis ita obtuſus, vt hæc non intelligat? Quis ita cæcus, vt non videat?* Et tamen prædicans iſte ita clamat, ita his ineptiſſimis nugis triumphat, quaſi omnes homines in truncos & ſtipites transmutati ſint; nullusque ſuperſit; qui inſulſiſſimam inſcitiam deprehendere aut refutare queat. Perinde enim facit ac ſi ita deliraret: non enim dicam argumentaretur. Cibus & potus, quē Chriſtus Dominus ſumebat factus eſt caro & ſanguis Chriſti eo modo, quo in quolibet homine nutrimentum ſit caro & ſanguis nutriti: ergo cibus & potus peruenit in vnionem hypoſtaticam cum æterno filio Dei. Sed ait Hunnius; *panis non redigitur in nihilum; ergo remanet.* Subtiliſſimè. Perinde ac ſi dicas; Ignis, qui mutatur in aërem, nō redigitur in nihilum; ergo ignis mutatus in aërem manet; & quod adhuc mirabilius, *ignis in aërem mutatus, ſuppoſito vnitur cum aëre; ita vt idem ſuppoſitum ſit aër & ignis.* Item. Cibus & potus, qui conuertitur in ſubſtantiam viuentis, non redigitur in nihilum; ergo cibus & potus conuerſus in ſubſtantiam viuentis manet; & ſuppoſito vnitur cum viuente. Dices; *Remanet materia ignis* & materia cibi & potus. Ita eſt, ſed materia ignis non eſt ignis, & materia cibi & potus, non eſt cibus & potus: Et quamuis in tranſſubſtantiatione nec ſubſtantialis forma panis, nec materia panis maneant; non tamē rediguntur in nihilū: quia terminus annihilationis eſt nihil ſeu negatio entis: terminus autem tranſſubſtantiationis eſt corpus Chriſti, quod non eſt nihil, niſi fortè apud Hæreticos; quibus omnia nihil ſunt & nihili.

Parem imperitiam & vanitatē olet, quod proximè prædicans ſubiungit. *Quia ſacrificuli demurmurando hæc quinque verba (hoc eſt enim corpus meum) conficiunt ex pane corpus Chriſti, nonnè creatores erunt?* Minimè verò; quia creatio eſt ex nihilo: & creator rem producit ex nihilo, tranſubſtantiatio non eſt ex nihilo, ſed ex ſubſtantia panis ad corpus Chriſti: & Sacerdos conſecrans conficit corpus Chriſti non ex nihilo, ſed ex ſubſtantia panis. Quare nec tranſubſtantiatio, erit creatio; nec conſecrans, creator; vt taceam illud non creari; quod iam antea alicubi exiſtit; Corpus Chriſti, quod ſub ſpeciebus panis & vini, virtute conſecrationis, præſens ſiſtitur, iam antea alibi exiſtit; nimirum in cœlo; non creatur igitur, cum panis per conuerſionem illam in corpus Chriſti conuertitur. At liber, cui titulus, *Stella Clericorum*; vocat Sacerdotes *creatores creatoris.* Quid tum? Vocabulo *creatoris* vtitur liber ille non propriè, ſed latiori quadam ſignificatione; prout creatio pro quauis conuerſione, &

creator

Digitized by Google

Creator pro quouis; qui conuerſionis illius cauſſa eſt, accipi poteſt. Cur tu bonam mentē auctoris illius mala tua mente alio trahis, quodque candide dictum eſt; tam maligne calumniaris? Dixi ſupra; multa olim à nonnullis ſcripta & dicta, cum maior animorum ſinceritas eſſet; à quibus hodie abſtinerent, poſtquam adeò copioſus ſycophantarum prouentus exſtitit; qui ad nihil aliud, cum Catholicorum libros lectitant, attendunt, quàm vt eos capiant in verbis, & criminandi materiam inde colligant, imitati maiores ſuos Phariſæos & Herodianos, quibus magis curæ erat vt Chriſtum *caperent in ſermone*, quàm vt ex eius ſermone veritatem diſcerent. *Inſidiantes ei*, inquit S. Lucas, *& quærentes aliquid capere de ore eius, vt accuſarent eum.* *Matth. 22.* *Luca 11.*

Hoc ſtudium cum ſumma ignorantia ſtatim iterum prodit prædicans; quando ex ipſo Bellarmino Bellarminum contradictionis arguere conatur. *Fatetur Bellarminus*, inquit Præco, *humanitati Chriſti communicatam eſſe hypoſtaſin ſeu ſubſiſtentiam verbi*: Quid ni fateretur? Hæc enim eſt Catholica & orthodoxa doctrina. *At negat*, inquit, *humanitati communicatam eſſe omnipotentiam; & cætera attributa Deitatis.* Recte hoc negat Bellarminus, quia negat id eo ſenſu, quo communicatio diuinorum attributorū facta humanitati aſſeritur à Brentio; Smidelino, & aliis Vbiquitatis architectis. Tu quomodo Bellarminum refellis, aut contradictionis reuincis? Audiamus denuo argumentum Hunnianum, hoc eſt, futile & inane, vanitate quàm ratione plenius. *Hypoſtaſis verbi & attributa eius realiter idē ſunt, ergo ſi humanitati communicata eſt hypoſtaſis verbi, ſequitur eidem etiam attributa verbi communicata eſſe: ita vt humanitas ſit omnipotens, omnipræſens, omniſapiens, & quidquid demum Deus eſt.* Reſpondeo, hoc argumentum eſſe luцidiſſimū Hunnianæ audaciæ & ignorantiæ ſpeculum: nam ſi ab identitate reali ratiocinari velimus in diuinis; totum myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis non magno niſu euertetur; quidni enim cum Hunnio colligere liceat; Pater communicauit filio eſſe diuinum: ergo communicauit eidem paternitatem; quia paternitas & eſſe diuinum realiter non diſtinguuntur; Ergo filius eſt pater. Item. Pater & filius communicauit Spiritui ſancto eſſe diuinum: ergo etiam paternitatem & filiationem, quia paternitas & filiatio non diſtinguuntur realiter ab eſſe diuino. Ergo Spiritus ſanctus eſt pater & filius ſimul. Centena talia Hunniano acumine digna pronunciata exſiſtent ex axiomate illo: *Quando aliqua realiter idem ſunt; tunc quidquid vni conuenit, conuenit etiam alteri*: ſi explicetur, prout à pingui huius prædicantis Minerua *Theſ. 61. & ſeq.*

Digitized by Google

exponitur,& aduerſus Bellarmini doctrinam vſurpatur.

Reſpondeo ſecundo; argumentum fortaſſis aliquam vim haberet; ſi Hypoſtaſis verbi humanitati cōmunicata eſſet, vt ipſamet eſſet aut fieret hypoſtaſis verbi;tunc enim illud etiam cōmunicaretur humanę naturæ;quod cum hypoſtaſi idē eſſet, & ſic fieret humana Chriſti natura *omnipotens, omniſciens, omnipræſens*; & demum quidquid attributorum de filio Dei affirmatur. Cum verò hypoſtaſis verbi non communicetur naturæ humanæ, vt ſit ipſamet hypoſtaſis verbi; ſed tantum,vt per illam ſubſiſtat;vltimumque complementum in latitudine ſubſtantiæ ab illa accipiat: nullo modo ſequitur id quod Hunnius, & alij Vbiquiſtæ volunt; nempe,etiam ipſa attributa diuina communicata eſſe humanitati;ita vt humanitas verè ſit illa;verè omnipotens, verè omniſapiens; ſed, ſi quid ſequitur, tantùm hoc ſequetur; quod ſicut hypoſtaſis verbi communicata eſt humanæ naturæ; vt per eam proximè & immediatè ſubſiſtat, & incommunicabilis fiat; ita attributa diuina, quatenus realiter ab hypoſtaſi verbi non diſtinguuntur, communicata ſint naturæ humanæ, non vt ſit illa attributa; hoc eſt,non vt ſit omnipotens; omniſciens, ſed vt per illa *indirectè* ſaltem, *mediatè* & *ſecundariò* ſubſiſtat, quatenus immediate & primario ſubſiſtit per hypoſtaſin, realiter ab illis attributis non diſtinctam.

Qua explicatione adhibita euaneſcit & vanitas argumenti Hunniani,& inanitas cōmentitiæ contradictonis; quam Bellarmino Logodædalus iſte affingebat: qui de attributis diuinis ita hoc loco diſſerit; vt ne ipſe quidem;quid dicere voluerit, intellexiſſe videatur. Ait; *ſi omnipotentia; (& eadem eſt ratio aliorum attributorum diuinorum) conſideretur abſolutè,vt eſt toti Trinitati communis; non quidem re differt à ſingulis perſonis,ſed tamen ratione: Conſiderata verò relatè in perſona filij, nec ratione differt quidquam à filij hypoſtaſi. Ita vt ſi quis quærat, quid eſt λόγος in ſua hypoſtaſi? rectè reſpondeatur; eſt potentia Patris genita, eſt ſapientia patris genita. Prouerb.* 8. En acumen Hunnianum tanta tantæ imperitiæ nebula ſeſe *implicans,confundens, iugulans.* Quod vt magis appareat, quærendum eſt ex Hunnio, quid per attributa diuina, quid per illud: *Relatè in perſona filij*,intelligat:nam ſi loquitur de ſapientia,omnipotentia, infinitate, & cæteris attributis diuinæ eſſentiæ ſeu naturę communibus & abſolutis,prout præciſè conſiderantur in perſona filij ineſſe: abducta mente ab hoc, quod etiam in perſona patris, & in perſona Spiritus ſancti inſunt:tunc non niſi inſipienter & ſtolidè

[illegible] (margin)

negat

Digitized by Google

negat hæc attributa ab hypoſtaſi filij ratione diſtingui;quia illa diſtinguuntur ſaltem ratione; quæ diuerſas formales rationes habent, ſapientia, omnipotentia, & alia attributa diuina etiam ad perſonã filij relata,habent diuerſas rationes formales & notiones; alia eſt enim ratio & notio ſapientiæ;alia potentiæ;alia infinitatis; alia æternitatis; & alia hypoſtaſeos ſiue perſonę,ſeu perſonalitatis:ergo ſapientia,aliaq; attributa; & hypoſtaſis ſeu perſonalitas, ratione ſaltem à ſe mutuò diſtinguuntur. 2. Abſolutũ & reſpectiuũ in diuinis diſtinguuntur ratione; ſapientia;potentia,& reliqua attributa,etiã relatè ad filiũ; ſunt aliquid abſolutum;hypoſtaſis autem ſeu perſonalitas aliquid reſpectiuum;diſtinguuntur ergo inter ſe ſaltem ratione.Deniq; ſi propter reſpectum illum ad filiũ proprietates eſſentiæ diuinæ ratione non diſtinguuntur ab hypoſtaſi filij, tunc nec ipſa eſſentia ratione diſtinguetur ab hypoſtaſi filij, ſi conſideretur pręcisè prout in filio ineſt, quia eadem eſt ratio,quoad hoc,eſſentiæ & proprietatum abſolutarum.

Quod ſi Hunnius per proprietates relatè in perſona filij conſideratas, non intelligat proprietates abſolutas, quæ cum natura & eſſentia diuina in hypoſtaſi filij ſubſiſtunt, ſed reſpectiuas, more Vbiquiſtis, vt videtur, iam vſitato: tunc iterum ineptè & indoctè agit. Vt enim daremus infinitatem, ſapientiam, omnipotentiam, & id genus alia attributa relatiuè quoq; ſumi; neceſſario tamen ratione ab hypoſtaſi diſtingui deberent, nam ratio hypſtaſeos eſt, vt per eam natura incommunicabiliter & completè intra latitudinẽ ſubſtantiæ exſiſtat; quæ certè ratio, notioni ſapientiæ,verbi gratia,aut potentiæ nequaquam competit.

Deinde ſiue hoc ſiue priore modo Hunnius attributa ſumat, non ideo obtinebit id quod ſibi propoſuit:nam prædictam attributorũ diuinorum diſtinctionẽ adducunt Vbiquiſtæ; ne fateri cogantur ipſa etiam attributa abſoluta,toti ſanctiſſimę Trinitati communia,naturæ humanæ Chriſti communicata eſſe; & ſic non tantum filium;ſed patrem quoque & Spiritum ſanctum hominem aſſumpſiſſe: hoc enim effugium ipſo Hunnij argumento euerti poteſt, vt hunc modum: Quando ea, quæ realiter idem ſunt communicantur, tunc communicato vno, communicantur etiam alia: ita enim argumentatur prædicans contra Bellarminum : Sed potentia, ſapientia & alia attributa realiter idem ſunt cum Hypoſtaſi & inter ſe, ſiue conſiderentur abſolutè, vt ſunt toti Trinitati communia; ſiue

relatè ad hypoſtaſin filij prout in illa proprietates iſtæ abſolutæ ſubſiſtunt: ſiue conſiderentur cum Vbiquiſtis non vt abſolutæ; ſed reſpectiue, eò modo, quo ipſa hypoſtaſis reſpectiua eſt: ergo ſi vt prædicanti placet, attributa iſta relatè ſpectata, ſeu vt relatiua ſunt, humanæ naturæ communicata ſunt, etiam communicata erunt prout abſolutè ſpectantur, & vt toti Trinitati ſunt communia; quandoquidem inter ſe & cum hypoſtaſi vnum prorſus & idem ſunt.

Adhæc licet in perſona filij conſtitueremus ſapientiam; omnipotentiam & alia attributa planè propria & perſonalia filio, & ne ratione quidem ab hypoſtaſi filij diſtincta, non tamen ſequeretur id quod Vbiquetarij volunt, nempe ipſam quoque naturam humanam in ſe & ſecundum ſe eſſe omnipotentē, omniſapientem, omnipræſentem, infinitam, nam hæc non aliter communicarentur naturæ humanæ, quam ipſa hypoſtaſis infinita & omnipræſens; hæc autem non ita communicatur naturæ humanæ, vt per eam natura humana fiat in ſe & ſecundum ſe infinita, ſed vt per eam incommunicabiliter ſubſiſtat: ergo eodem modo communicarentur humanæ naturæ proprietates, ſi quæ huiuſmodi relationes in hypoſtaſi filij eſſent; videlicet, vt immediatè, primò, & per ſe humana natura ſubſiſteret per hypoſtaſin: ſecundariò autem per huiuſmodi proprietates. Quæ communicatio nobis non magis officeret, quam nunc officiat communicatio proprietatum abſolutarum, per quas natura humana ſaltem ſecundariò ſubſiſtit, hoc ipſo quod realiter non diſtinguuntur ab hypoſtaſi: per quam natura humana primariò & immediatè ſubſiſtit. Quod autem quærenti quid eſt λόγος in ſua hypoſtaſi, non incommodè reſpondetur; eſt *potentia patris genita*, eſt *ſapientia patris genita*; id fit, non quod hypoſtaſis formaliter ſit ſapientia aut potentia; ſed quia identicè. Et huc fortaſſis reſpexerunt Doctores illi, qui hoc loquendi modo vſi ſunt, vt ſanctus Auguſtinus: & Magiſter.

S. Augu. lib 15. de Trinit. cap. 14. Magiſt. 1. d. 32.

Bell lib. 3. de Chriſto cap. 1.

Accuſat Bellarminus Brentium Neſtorianiſmi ob has & ſimiles phraſes. *Deus aut filius Dei vniuit ſibi hominem; ſeu filium hominis perſonaliter: omnipotentiam ſuam filius Dei in incarnatione contulit in filium hominis.* Obiicit Hunnius; *Si Brentius ſit Neſtorianus ob hos loquendi modos, etiã Thomã Aquinatem fore Neſtorianũ, cuius hæ ſint loquendi formulæ:*

Theſ 71. & ſeq.

Filius,

Digitized by Google

Filius Dei; virginis filio: Deus homini; diuinitas carni contulit, quod ſemper ipſe cum patre poſſedit: citatque S. Thomam in Catena aurea ſuper Euangeliſtas. Sed quo loco Catenæ prædicans? Grandis eſt illa catena: cur caput, cur paginam non denotas, vt par erat? nam vt tibi S. Thomam proferenti fidem habeamus; non inſpecto ipſo ſancti Doctoris contextu; id tu à nobis nunquam impetrabis. Non iniuria ergo reſponſum differre poſſem; quandoquidem; ſi reſpondeam, fortè non tam ad modum loquendi S. Thomæ; quàm ad tuum mendacium, aut fucum reſponſurus ſum: quod vt ſuſpicer, facit in primis Hunnianus genius ex fraudibus & impoſturis totus conſutus. Secundò, genius S. Thomæ; qui in verbis tam cautus & religioſus fuit; vt ſcripſerit, *nos neque nomina debere habere communia cum hæreticis; ne eorum errori fauere videamur*. Tertiò, quia ſi verba illa in illa Catena reperiuntur; fortè non ſunt S. Thomæ, ſed alterius, quem citat; cum propemodum tota illa Catena ex alienis verbis & ſententiis ſit conflata. *S. Thom. 3. p. q. 16. a. 8.*

Sed ſi ſint S. Thomæ; dicimus, ea eſſe interpretanda ex S. Thomæ, non ex Hunnii mente; nam quod hoc loquendi modo cauſam Neſtorii agere non voluerit; colligimus cùm ex ipſa Catena, in qua ſæpius Neſtorii veſania redarguitur; tum ex lib. 4. contra gentes cap. 34. vbi accuratiſſimè contra Neſtorii hæreſin differit: tum ex tertia parte paſſim in quæſtionibus de incarnatione; præcipuè q. 2. a. 2. & q. 4. a. 3. & q. 16. a. 7. vbi negat propoſitionem iſtam propriè loquendo veram eſſe. *Homo factus eſt Deus*; ſicut ergo patres quoſdam piè explicamus: cum dixerunt; *Filium Dei aſſumſiſſe hominem*; ex quorum numero ſunt S. Cyprianus, S. Auguſtinus, & S. Hilarius; (ſenſus enim eſt, vt ipſe S. Thomas docet 3. p. q. 4. a. 3. ad 1. hominem eſſe aſſumptum; quia eius natura eſt aſſumpta; & quia aſſumptio terminata eſt ad hoc, vt filius Dei ſit homo) ita etiam dictum illud ex catena non extendendum; ſed in bonam partem accipiendum eſt; vt ſenſus ſit filium Dei, qui aſſumpta humana natura factus eſt filius virginis, Deumque homini, cuius humanam naturam aſſumpſit; & diuinitatem carni contuliſſe: quod ſemper ipſe cum patre poſſedit, contuliſſe inquam, non vt humana natura eſſet verbum diuinum; omnipotens, æternum, immenſum; ſed vt per verbum diuinum primariò ſubſiſteret, & ſecundariò etiam per verbi diuini attributa realiter ab hypoſtaſi verbi non diſtincta; vt ſupra dictum. *Vide Greg. de valen. Tom. 4. d. 1. q. 2 p. 2. Franciſ. Soarez 3 p q 4 a. 3.*

Quocirca nullius momenti eſt iſte tuus ſyllogiſmus: *Quisquis vtitur eo loquendi genere, quod à Ieſuita in Brentio reprehenditur, ille eſt Ne-*

ſtorianus: Thomas Aquinas in catena aurea ſuper Euangeliſtas vſus eſt eo loquendi genere, quod in Brentio reprehendit Ieſuita. Eſt ergo Neſtorianus; *& per conſequens errauit Papa, Neſtorianum Doctorem referendo in numerum diuorum.* Reſpondeo maiorem ſimpliciter eſſe falſam: nam ad hoc, vt Neſtorianus ſit, oportet vt vtatur illo loquendi genere eo animo & ſenſu, quo eo vſus eſt Brentius; nam ſola verba non faciunt hæreticum: At Brentius, non autem S. Thomas vſus eſt illo loquendi genere eo ſenſu, quo Neſtorius; ergo Brentius, non S. Thomas eſt Neſtorianus, & Neſtorianiſmi meritò à Bellarmino inſimulatur. Minor de Brentio perſpicuè patet ex Brentii verbis à Bellarmino recitatis: quæ adeo ſunt Neſtoriana, vt magis Neſtoriana non eſſent, licet ab ipſo Neſtorio prolata fuiſſent. Nec eſt, quod quis piè interpretari conetur verba Brentii: nam impii verba, non ſunt piæ interpretationis capacia. Nec poteſt cum ratione Brentium à Neſtorianiſmo abſoluere; quiſquis cogitat Vbiquiſtas, Eutychianiſtas, & Neſtorianiſtas contribules, imo fratres eſſe. Et quamuis olim duæ iſtæ hæreſes Neſtoriana & Eutychiana cenſerentur penitus oppoſitæ, noſtri tamen Vbiquiſtæ tam ſciti ſunt & belli fabri, vt etiam oppoſitas hæreſes in vnam Vbiquiſticam conflare norint. Eadem minor patet, quod attinet ad S. Thomam, ex omnibus locis ſupra ex operibus S. Thomæ adductis: euidenter enim docent, quæ fuerit eius mens, ſi quando dixit; *Filium* Dei *aſſumpſiſſe hominem; aut diuina ſua dona homini contuliſſe.*

Verùm vt omnes intelligant, quàm præco iſte ſit egregius argumentator, proponamus nos alium ſyllogiſmum; Hunniano per omnia gemellum. *Quiſquis vtitur eo loquendi genere, quod Catholici reprehendunt in Arianis; ille eſt Arianus;* Multi *ex ſanctis patribus vſi ſunt eo loquendi genere, quod in Arianis Catholici reprehendunt, ergo multi illi ex ſanctis patribus ſunt Ariani, & per conſequens errauit Papa, & tota Ecclesia, Arianos Doctores referendo in numerum diuorum.* Minor patet; quia multi ex ſanctis patribus dixerunt, *Chriſtum eſſe creaturam*; quo tamen nihil frequentius Arianis in ore; vt cæteras peſtes taceam. Quam igitur ſolutionem tu dares ad hunc ſyllogiſmum; ſi veram dares, eandem accommoda ad tuum; & calumnias in S. Thomam, Bellarminum & Pontificem hic iactas, reſorbe: ſeptenaſque theſes tanquam nauci & nihili annihila: vt eo illuſtrior & lucidior ſit tuus Labyrinthus, quo paucioribus mendaciorum dumetis obſtruitur.

Vide S.Thom. 3.p.q.16. & ibid. Soarez.

Docet

Docet Bellarminus, Chriſti animam ab ipſa ſua creatione fuiſ-ſe repletam ſcientia & gratia, ita vt nihil poſtea didicerit; quod antea neſciuerit. *Ex hoc,* inquit Prædicans, *demonſtrabimus Ieſuitam, nolit velit,* (en quanta potentia Prædicantis) *idiomatum diuinorum communicationem humanæ Chriſti naturæ concedere, ni proprias ſuas hypotheſes diruere velit & euertere.* Intentis igitur auribus & oculis adſtemus, vt audiamus & videamus, quo artificio rem tanti ponderis tanti promiſſor hiatus, perficiat. *Præſcire futura eſt ſolius Dei Iſaiæ 41. Item aſpicere tacitos gemitus ſuſpiriaque cordium, 1. Reg. 8. Aut ergo Ieſuita ſuum de anima Chriſti tractatum deleat, aut increatæ ſapientiæ verbi realem κοινωνίαν animæ Saluatoris attribuat: cumque ſapientia increata verbi & omnipotentia eius, ſimpliciſſimè ſint vnum quid; hanc quoque communicatam ei ſtatuat, omniaque ſua argumenta quibus diuinorum idiomatum communicationem oppugnauit, agnoſcat eſſe falſa & ἀνακόλουθα.* Reſpondeo, ſolius Dei eſſe, vt futura, & tacitas cogitationes præſciat & præuideat ex ſua natura: & ſcientia increata & infinita: interim tamen donum hoc communicari potuit animæ Chriſti, vt quod Deus poteſt per naturam & ſcientiam increatam; id Chriſtus vt homo ſeu ſecundum humanitatem potuerit per gratiam: per ſcientiam, inquam, beatificam & infuſam; vtrâque enim à primo conceptionis ſuæ puncto vberrime donatus fuit; vt proinde nihil opus ſit tua illa Vbiquiſtica communicatione idiomatum diuinorum in animam Chriſti transfuſorum, eo modo, quo id veſtris phantaſiis videtur; ſed nequaquam veritati. En quàm paucis verbis decem tuarum Theſium magniloquentia vel potius ſuperbiloquentia proſternitur. Accingere, ſi quid contrà habes: Si homo non poteſt præſcire futura, & arcana cordium, quomodo Prophetę ea cognouerunt? Si ad iſta requiritur ſcientia increata & infinita, quomodo Prophetę per ſcientiã, lumenq; creatũ in lõgè poſitorũ, & à ſua ætate remotorum cognitionẽ peruenerũt? niſi fortè Prophetis quoq; Vbiquiſticam cõmunicationem diuinorũ idiomatum concedis ad hoc, vt ad labentibus annis futura intelligentiam explicare, abditoſque pectoris alieni receſſus penetrare poſſent.

Bell. lib. 4. de Chriſto, cap. 2. Theſ. 78. & ſeq.

Notetur autẽ inter cætera hoc Hunnii mendacium; cum ait: *Pontificios docere, Mariæ virgini; omnibuſque ſanctis diem iudicii eſſe cognitum.* Quinam iſti Pontificii? Sed ſinamus, vt hoc etiam emblemate Labyrinthum ſuum exornet. Pergit Labyrinthi textor: *Negat Bellarminus & Ieſuitæ Moguntini & Ingolſtadienſes communicationem omnipotentiæ diuinæ, competere humanitati Chriſti.* Negant; & rectè. Quid

Hun-

Digitized by Google

larminus & Papiſtæ ſibi mutuo contradicunt in argumento diuinæ ſcripturæ. An non ſunt iſthæc pro Labyrintho Hunniano aptiſſima tigna aut columina? Sic pergite ratiocinari vos *Luthericolæ.*

Theſ. 53. & ſeq.

Reſtat vltima aut penultima huius capitis fictitia contradictio; quę eſt iſta: *Pontificij negant ſcripturam eſſe iudicem omnium controuerſiarum:* Ita eſt, negamus; non ſine ratione, quod tu ſine ratione affirmas. *At hoc ipſum, quod negant, rurſus Pontificij affirmant,* inquit Hunnius; Qua tandem ratione? *Quia probaturi poteſtatem Pontificis, ad ſcripturam confugiunt, productis illis locis Matth. 16. Tu es Petrus. & Ioan. 21. paſce oues meas; ergo confugiunt ad ſcripturam tanquam ad omnium controuerſiarum iudicem.* Reſpondeo, negando conſequentiam; producitur enim ſcriptura; non vt iudex, ſed vt teſtis; nec ſententia iudiciaria ab ea petitur; ſed teſtimonium, de quo nuper plura aduerſus inſcitiam huius prædicantis: vbi etiam oſtendi, quomodo ſcriptura loquatur; quomodo rectè eloquium dici queat & vox; non obſtante, quod alio reſpectu appellatur *muta.* Non repeto, ne Hunniano more tantummodo chartarum explendarum gratia ſcribere videar. Ruit ergo & iſta contradictio. Et cur non rueret, cum ſit inanis, nec apud nos, ſed in maleſano ſeminiuerbij huius cerebro prognata.

In Reſponſo ad Theſes Hunnianas.

Theſ. 52.

Necdum finis. Ait præco: *Pontificij negant omnia dogmata fidei in ſcriptura contineri: Et tamen iactant aliqui paratos ſe eſſe de omnibus controuerſis articulis, atque dogmatibus ex ſola ſcriptura nobiſcum diſputare: ergo ſibi contradicunt.* Reſpondeo, etiam de dogmate; quod in ſcriptura non continetur, ex ſcriptura diſſeri poſſe: hoc ſi Hunnius non credit, experimento cognoſcat; collato pede, cum eo ipſo, qui ſe profitetur paratum ex ſola ſcriptura de omnibus controuerſis articulis diſputare; cum clariſſimo, inquam, viro D. Piſtorio, quem hic citat, & pro fronte ſua Hunniana, *perfrictæ frontis Apoſtatam* nominat, quod conuicium lubens prædicanti condonabit Piſtorius, non ignarus illius à S. Baſilio & Damaſceno traditi documenti. *Cum quiſpiam præ phreneſi mentis errore affectus, contumelioſis verbis te inſectatur; miſeratione potius, quàm odio dignum cenſe.* Ex dictis hactenus, haud obſcure cernit lector, qualis ſeſe mendaciorum, criminationum & calumniarum Labyrinthus offerat in Theſibus Hunnianis; circa primum ſtatim locum, qui eſt de ſcriptura ſacra.

Damaſ. lib. 2. Parallel, c. 81.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT III.

De perſona Chriſti.

SI vſquam alibi, in hoc certè capite, architectus noſter mirificè ſeſe contradictionibus, vanitatibus, mendaciis, ſycophantiis & impoſturis *implicat, confundit, iugulat*, vt non tam ratiocinans, quàm febriliter delirans, iure, à quouis, quem ratio non fugit, exiſtimari queat. Docent Catholici Verbum diuinum cum ſola natura humana, quam aſſumpſit; hypoſtaticè vniri; non autem cum vlla alia re creata. Hoc dogmate dogma transſubſtantiationis à propriis aſſertoribus per contradictionẽ euerti, vaniſſimo iſto Hunniique garrulitate & leuitate digniſſimo ſyllogiſmo demonſtrare nititur. *Corpus Chriſti eſt cum filio Dei vnitum perſonaliter, at panis ex ſententia Pontificiæ* μετουσίας *factus eſt ipſiſſimum illud corpus Chriſti, peruenit ergo in vnionem hypoſtaticam cum æterno filio Dei.* En ſyllogiſmum, quo imperitiorem formare fortaſſis ne imperitiſſimus quidem poſſet. Nam ſi diſtinguas minorem; quo ſe vertet prædicans? Nonne unica diſtinctione totus iſte verborum fumus diſpelletur? hac, inquam, diſtinctione; *panis remanens ſecundum ſuam ſubſtantiam, factus eſt corpus Chriſti*; nego minorem: *panis non remanens ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſed per conuerſionem in aliud quiddam conuerſus*; factus eſt corpus Chriſti, concedo minorem; ſed hinc non ſequitur concluſio: quomodo enim id, quod amplius non eſt, ſed per conuerſionem in aliud; deſiit eſſe, poteſt cum altero hypoſtaticè vniri? Si panis per tranſubſtantiationem deſiit eſſe, vt Catholica doctrina tradit; quomodo panis vniri poteſt hypoſtaticè cum diuino Verbo? An non oportet, vt illud exiſtat, quod cum altero hypoſtaticè vnitur? *Quis ita ſurdus eſt, vt hæc non audiat*, inquit ſanctus Auguſtinus,

Theſ. 60.

guſtinus; *quis ita obtuſus, vt hæc non intelligat? Quis ita cæcus, vt non videat?* Et tamen prædicans iſte ita clamat, ita his ineptiſſimis nugis triumphat, quaſi omnes homines in truncos & ſtipites tranſmutati ſint; nulluſque ſuperſit; qui inſulſiſſimam inſcitiam deprehendere aut refutare queat. Perinde enim facit ac ſi ita deliraret: non enim dicam argumentaretur. Cibus & potus, quē Chriſtus Dominus ſumebat factus eſt caro & ſanguis Chriſti eo modo, quo in quolibet homine nutrimentum ſit caro & ſanguis nutriti: ergo cibus & potus peruenit in vnionem hypoſtaticam cum æterno filio Dei. Sed ait Hunnius; *panis non redigitur in nihilum; ergo remanet.* Subtiliſſimè. Perinde ac ſi dicas; Ignis, qui mutatur in aërem, nō redigitur in nihilum; ergo ignis mutatus in aërem manet; & quod adhuc mirabilius, *ignis in aërem mutatus, ſuppoſito vnitur cum aëre; ita vt idem ſuppoſitum ſit aër & ignis.* Item. Cibus & potus, qui conuertitur in ſubſtantiam viuentis, non redigitur in nihilum; ergo cibus & potus conuerſus in ſubſtantiam viuentis manet; & ſuppoſito vnitur cum viuente. Dices; *Remanet materia ignis* & materia cibi & potus. Ita eſt, ſed materia ignis non eſt ignis, & materia cibi & potus, non eſt cibus & potus: Et quamuis in tranſſubſtantiatione nec ſubſtantialis forma panis, nec materia panis maneant; non tamē rediguntur in nihilū: quia terminus annihilationis eſt nihil ſeu negatio entis: terminus autem tranſſubſtantiationis eſt corpus Chriſti, quod non eſt nihil, niſi fortè apud Hæreticos; quibus omnia nihil ſunt & nihili.

Parem imperitiam & vanitatē olet, quod proximè prædicans ſubiungit. *Quia ſacrificuli demurmurando hæc quinque verba (hoc eſt enim corpus meum) conficiunt ex pane corpus Chriſti, nonnè creatores erunt?* Minimè verò; quia creatio eſt ex nihilo: & creator rem producit ex nihilo, tranſubſtantiatio non eſt ex nihilo, ſed ex ſubſtantia panis ad corpus Chriſti: & Sacerdos conſecrans conficit corpus Chriſti non ex nihilo, ſed ex ſubſtantia panis. Quare nec tranſubſtantiatio, erit creatio; nec conſecrans, creator; vt taceam illud non creari; quod iam antea alicubi exiſtit; Corpus Chriſti, quod ſub ſpeciebus panis & vini, virtute conſecrationis, præſens ſiſtitur, iam antea alibi exiſtit; nimirum in cœlo; non creatur igitur, cum panis per conuerſionem illam in corpus Chriſti conuertitur. At liber, cui titulus, *Stella Clericorum*; vocat Sacerdotes *creatores creatoris.* Quid tum? Vocabulo *creatoris* vtitur liber ille non propriè, ſed latiori quadam ſignificatione; prout creatio pro quauis conuerſione, &

creator

Digitized by Google

Creator pro quouis; qui conuerſionis illius cauſſa eſt, accipi poteſt. Cur tu bonam mentē auctoris illius mala tua mente alio trahis, quodque candide dictum eſt; tam maligne calumniaris? Dixi ſupra; multa olim à nonnullis ſcripta & dicta, cum maior animorum ſinceritas eſſet; à quibus hodie abſtinerent, poſtquam adeò copioſus ſycophantarum prouentus exſtitit; qui ad nihil aliud, cum Catholicorum libros lectitant, attendunt, quàm vt eos capiant in verbis, & criminandi materiam inde colligant, imitati maiores ſuos Phariſæos & Herodianos, quibus magis curæ erat vt Chriſtum *caperent in ſermone*, quàm vt ex eius ſermone veritatem diſcerent. *Inſidiantes ei*, inquit S. Lucas, *& quærentes aliquid capere de ore eius, vt accuſarent eum.* *Matth. 22. Luca 11.*

Hoc ſtudium cum ſumma ignorantia ſtatim iterum prodit prædicans; quando ex ipſo Bellarmino Bellarminum contradictionis arguere conatur. *Fatetur Bellarminus*, inquit Præco, *humanitati Chriſti communicatam eſſe hypoſtaſin ſeu ſubſiſtentiam verbi*: Quid ni fateretur? Hæc enim eſt Catholica & orthodoxa doctrina. *At negat*, inquit, *humanitati communicatam eſſe omnipotentiam; & cætera attributa Deitatis.* Recte hoc negat Bellarminus, quia negat id eo ſenſu, quo communicatio diuinorum attributorū facta humanitati aſſeritur à Brentio; Smidelino, & aliis Vbiquitatis architectis. Tu quomodo Bellarminum refellis, aut contradictionis reuincis? Audiamus denuo argumentum Hunnianum, hoc eſt, futile & inane, vanitate quàm ratione plenius. *Hypoſtaſis verbi & attributa eius realiter idē ſunt, ergo ſi humanitati communicata eſt hypoſtaſis verbi, ſequitur eidem etiam attributa verbi communicata eſſe: ita vt humanitas ſit omnipotens, omnipræſens, omniſapiens, & quidquid demum Deus eſt.* Reſpondeo, hoc argumentum eſſe lucidiſſimū Hunnianæ audaciæ & ignorantiæ ſpeculum: nam ſi ab identitate reali ratiocinari velimus in diuinis; totum myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis non magno niſu euertetur; quidni enim cum Hunnio colligere liceat; Pater communicauit filio eſſe diuinum: ergo communicauit eidem paternitatem; quia paternitas & eſſe diuinum realiter non diſtinguuntur; Ergo filius eſt pater. Item. Pater & filius communicauit Spiritui ſancto eſſe diuinum: ergo etiam paternitatem & filiationem, quia paternitas & filiatio non diſtinguuntur realiter ab eſſe diuino. Ergo Spiritus ſanctus eſt pater & filius ſimul. Centena talia Hunniano acumine digna pronunciata exſiſtent ex axiomate illo: *Quando aliqua realiter idem ſunt; tunc quidquid vni conuenit, conuenit etiam alteri*: ſi explicetur, prout à pingui huius prædicantis Minerua

Theſ. 61. & ſeq.

exponitur,& aduerſus Bellarmini doctrinam vſurpatur.

Reſpondeo ſecundo; argumentum fortaſſis aliquam vim haberet; ſi Hypoſtaſis verbi humanitati cõmunicata eſſet, vt ipſamet eſſet aut fieret hypoſtaſis verbi; tunc enim illud etiam cõmunicaretur humanę naturæ; quod cum hypoſtaſi idẽ eſſet, & ſic fieret humana Chriſti natura *omnipotens, omniſciens, omnipræſens*; & demum quidquid attributorum de filio Dei affirmatur. Cum verò hypoſtaſis verbi non communicetur naturæ humanæ, vt ſit ipſamet hypoſtaſis verbi; ſed tantum, vt per illam ſubſiſtat; vltimumque complementum in latitudine ſubſtantiæ ab illa accipiat: nullo modo ſequitur id quod Hunnius, & alij Vbiquiſtæ volunt; nempe, etiam ipſa attributa diuina communicata eſſe humanitati; ita vt humanitas verè ſit illa; verè omnipotens, verè omniſapiens; ſed, ſi quid ſequitur, tantùm hoc ſequetur; quod ſicut hypoſtaſis verbi communicata eſt humanæ naturæ; vt per eam proximè & immediatè ſubſiſtat, & incommunicabilis fiat; ita attributa diuina, quatenus realiter ab hypoſtaſi verbi non diſtinguuntur, communicata ſint naturæ humanæ, non vt ſit illa attributa; hoc eſt, non vt ſit omnipotens; omniſciens, ſed vt per illa *indirectè* ſaltem, *mediatè* & *ſecundariò* ſubſiſtat, quatenus immediate & primario ſubſiſtit per hypoſtaſin, realiter ab illis attributis non diſtinctam.

Qua explicatione adhibita euaneſcit & vanitas argumenti Hunniani, & inanitas cõmentitiæ contradictonis; quam Bellarmino Logodædalus iſte affingebat: qui de attributis diuinis ita hoc loco diſſerit; vt ne ipſe quidem, quid dicere voluerit, intellexiſſe videatur. Ait; *ſi omnipotentia; (& eadem eſt ratio aliorum attributorum diuinorum) conſideretur abſolutè, vt eſt toti Trinitati communis; non quidem re differt à ſingulis perſonis, ſed tamen ratione: Conſiderata verò relatè in perſona filij, nec ratione differt quidquam à filij hypoſtaſi. Ita vt ſi quis quærat, quid eſt* λόγος *in ſua hypoſtaſi? rectè reſpondeatur; eſt potentia Patris genita, eſt ſapientia patris genita. Prouerb.* 8. En acumen Hunnianum tanta tantæ imperitiæ nebula ſeſe *implicans, confundens, iugulans.* Quod vt magis appareat, quærendum eſt ex Hunnio, quid per attributa diuina, quid per illud: *Relatè in perſona filij*, intelligat: nam ſi loquitur de ſapientia, omnipotentia, infinitate, & cæteris attributis diuinæ eſſentiæ ſeu naturę communibus & abſolutis, prout præciſè conſiderantur in perſona filij ineſſe: abducta mente ab hoc, quod etiam in perſona patris, & in perſona Spiritus ſancti inſunt: tunc non niſi inſipienter & ſtolidè

negat:

negat hæc attributa ab hypoſtaſi filij ratione diſtingui; quia illa diſtinguuntur ſaltem ratione; quæ diuerſas formales rationes habent, ſapientia, omnipotentia, & alia attributa diuina etiam ad perſonā filij relata, habent diuerſas rationes formales & notiones; alia eſt enim ratio & notio ſapientiæ; alia potentiæ; alia infinitatis; alia æternitatis; & alia hypoſtaſeos ſiue perſonę, ſeu perſonalitatis: ergo ſapientia, aliaq; attributa; & hypoſtaſis ſeu perſonalitas, ratione ſaltem à ſe mutuò diſtinguuntur. 2. Abſolutū & reſpectiuū in diuinis diſtinguuntur ratione; ſapientia; potentia, & reliqua attributa, etiā relatè ad filiū; ſunt aliquid abſolutum; hypoſtaſis autem ſeu perſonalitas aliquid reſpectiuum; diſtinguuntur ergo inter ſe ſaltem ratione. Deniq; ſi propter reſpectum illum ad filiū proprietates eſſentiæ diuinæ ratione non diſtinguuntur ab hypoſtaſi filij, tunc nec ipſa eſſentia ratione diſtinguetur ab hypoſtaſi filij, ſi conſideretur pręcisè prout in filio ineſt, quia eadem eſt ratio, quoad hoc, eſſentiæ & proprietatum abſolutarum.

Quod ſi Hunnius per proprietates relatè in perſona filij conſideratas, non intelligat proprietates abſolutas, quæ cum natura & eſſentia diuina in hypoſtaſi filij ſubſiſtunt, ſed reſpectiuas, more Vbiquiſtis, vt videtur, iam vſitato: tunc iterum ineptè & indoctè agit. Vt enim daremus infinitatem, ſapientiam, omnipotentiam, & id genus alia attributa relatiuè quoq; ſumi; neceſſario tamen ratione ab hypoſtaſi diſtingui deberent, nam ratio hypſtaſeos eſt, vt per eam natura incommunicabiliter & completè intra latitudinē ſubſtantiæ exſiſtat; quæ certè ratio, notioni ſapientiæ, verbi gratia, aut potentiæ nequaquam competit.

Deinde ſiue hoc ſiue priore modo Hunnius attributa ſumat, non ideo obtinebit id quod ſibi propoſuit: nam prædictam attributorū diuinorum diſtinctionē adducunt Vbiquiſtæ; ne fateri cogantur ipſa etiam attributa abſoluta, toti ſanctiſſimę Trinitati communia, naturæ humanæ Chriſti communicata eſſe; & ſic non tantum filium; ſed patrem quoque & Spiritum ſanctum hominem aſſumpſiſſe: hoc enim effugium ipſo Hunnij argumento euerti poteſt, vt hunc modum: Quando ea, quæ realiter idem ſunt communicantur, tunc communicato vno, communicantur etiam alia: ita enim argumentatur prædicans contra Bellarminum: Sed potentia, ſapientia & alia attributa realiter idem ſunt cum Hypoſtaſi & inter ſe, ſiue conſiderentur abſolutè, vt ſunt toti Trinitati communia; ſiue

relatè ad hypoſtaſin filij prout in illa proprietates iſtæ abſolutæ ſubſiſtunt: ſiue conſiderentur cum Vbiquiſtis non vt abſolutæ; ſed reſpectiue, eò modo, quo ipſa hypoſtaſis reſpectiua eſt: ergo ſi vt prædicanti placet, attributa iſta relatè ſpectata, ſeu vt relatiua ſunt, humanæ naturæ communicata ſunt, etiam communicata erunt prout abſolutè ſpectantur, & vt toti Trinitati ſunt communia; quandoquidem inter ſe & cum hypoſtaſi vnum prorſus & idem ſunt.

Adhæc licet in perſona filij conſtitueremus ſapientiam; omnipotentiam & alia attributa planè propria & perſonalia filio, & ne ratione quidem ab hypoſtaſi filij diſtincta, non tamen ſequeretur id quod Vbiquetarij volunt, nempe ipſam quoque naturam humanam in ſe & ſecundum ſe eſſe omnipotentē, omniſapientem, omnipræſentem, infinitam, nam hæc non aliter communicarentur naturæ humanæ, quam ipſa hypoſtaſis infinita & omnipræſens; hæc autem non ita communicatur naturæ humanæ, vt per eam natura humana fiat in ſe & ſecundum ſe infinita, ſed vt per eam incommunicabiliter ſubſiſtat: ergo eodem modo communicarentur humanæ naturæ proprietates, ſi quæ huiuſmodi relationes in hypoſtaſi filij eſſent; videlicet, vt immediatè, primò, & per ſe humana natura ſubſiſteret per hypoſtaſin: ſecundariò autem per huiuſmodi proprietates. Quæ communicatio nobis non magis officeret, quam nunc officiat communicatio proprietatum abſolutarum, per quas natura humana ſaltem ſecundariò ſubſiſtit, hoc ipſo quod realiter non diſtinguuntur ab hypoſtaſi: per quam natura humana primariò & immediatè ſubſiſtit. Quod autem quærenti quid eſt λόγος in ſua hypoſtaſi, non incommodè reſpondetur; eſt *potentia patris genita*, eſt *ſapientia patris genita*; id fit, non quod hypoſtaſis formaliter ſit ſapientia aut potentia; ſed quia identicè. Et huc fortaſſis reſpexerunt Doctores illi, qui hoc loquendi modo vſi ſunt, vt ſanctus Auguſtinus: & Magiſter.

S. Augu. lib. 15. de Trinit. cap. 14. Magiſt. 1. d. 32.

Bell lib. 3. de Chriſto cap. 1.

Accuſat Bellarminus Brentium Neſtorianiſmi ob has & ſimiles phraſes. *Deus aut filius Dei vniuit ſibi hominem; ſeu filium hominis perſonaliter: omnipotentiam ſuam filius Dei in incarnatione contulit in filium hominis.* Obiicit Hunnius; *Si Brentius ſit Neſtorianus ob hos loquendi modos, etiã Thomã Aquinatem fore Neſtorianũ, cuius hæ ſint loquendi formulæ:*

Theſ. 71. & ſeq.

Filius,

Filius Dei; virginis filio: Deus homini; diuinitas carni contulit, quod ſemper ipſe cum patre poſſedit: citatque S. Thomam in Catena aurea ſuper Euangeliſtas. Sed quo loco Catenæ prædicans? Grandis eſt illa catena: cur caput, cur paginam non denotas, vt par erat? nam vt tibi S. Thomam proferenti fidem habeamus; non inſpecto ipſo ſancti Doctoris contextu; id tu à nobis nunquam impetrabis. Non iniuria ergo reſponſum differre poſſem; quandoquidem, ſi reſpondeam, fortè non tam ad modum loquendi S. Thomæ, quàm ad tuum mendacium, aut fucum reſponſurus ſum: quod vt ſuſpicer, facit in primis Hunnianus genius ex fraudibus & impoſturis totus conſutus. Secundò, genius S. Thomæ; qui in verbis tam cautus & religioſus fuit; vt ſcripſerit, *nos neque nomina debere habere communia cum hæreticis; ne eorum errori fauere videamur*. Tertiò, quia ſi verba illa in illa Catena reperiuntur; fortè non ſunt S. Thomæ, ſed alterius, quem citat; cum propemodum tota illa Catena ex alienis verbis & ſententiis ſit conflata. *S. Thom. 3 p. q. 16 a. 8.*

Sed ſi ſint S. Thomæ; dicimus, ea eſſe interpretanda ex S. Thomæ, non ex Hunnii mente; nam quod hoc loquendi modo cauſam Neſtorii agere non voluerit; colligimus cùm ex ipſa Catena, in qua ſæpius Neſtorii veſania redarguitur; tum ex lib. 4. contra gentes cap. 34. vbi accuratiſſimè contra Neſtorii hæreſin diſſerit: tum ex tertia parte paſſim in quæſtionibus de incarnatione; præcipuè q. 2. a. 2. & q. 4. a. 3. & q. 16. a. 7. vbi negat propoſitionem iſtam propriè loquendo veram eſſe. *Homo factus eſt Deus*; ſicut ergo patres quoſdam piè explicamus: cum dixerunt; *Filium Dei aſſumſiſſe hominem*; ex quorum numero ſunt S. Cyprianus, S. Auguſtinus, & S. Hilarius; (ſenſus enim eſt, vt ipſe S. Thomas docet 3. p. q. 4. a. 3. ad 1. hominem eſſe aſſumptum; quia eius natura eſt aſſumpta; & quia aſſumptio terminata eſt ad hoc, vt filius Dei ſit homo) ita etiam dictum illud ex catena non extendendum; ſed in bonam partem accipiendum eſt; vt ſenſus ſit filium Dei, qui aſſumpta humana natura factus eſt filius virginis, Deumque homini, cuius humanam naturam aſſumpſit; & diuinitatem carni contuliſſe: quod ſemper ipſe cum patre poſſedit, contuliſſe inquam, non vt humana natura eſſet verbum diuinum; omnipotens, æternum, immenſum, ſed vt per verbum diuinum primariò ſubſiſteret, & ſecundariò etiam per verbi diuini attributa realiter ab hypoſtaſi verbi non diſtincta, vt ſupra dictum. *Vide Greg. de valen. Tom. 4. d 1. q 2 p. 2. Franciſ. Soarez 3 p q 4 a. 3.*

Quocirca nullius momenti eſt iſte tuus ſyllogiſmus: *Quiſquis vtitur eo loquendi genere, quod à Ieſuita in Brentio reprehenditur, ille eſt Ne-*

Digitized by Google

Docet Bellarminus, Chriſti animam ab ipſa ſua creatione fuiſſe repletam ſcientia & gratia, ita vt nihil poſtea didicerit; quod antea neſciuerit. *Ex hoc,* inquit Prædicans, *demonſtrabimus Ieſuitam, nolit velit,* (en quanta potentia Prædicantis) *idiomatum diuinorum communicationem humanæ Chriſti naturæ concedere, ni proprias ſuas hypotheſes diruere velit & euertere.* Intentis igitur auribus & oculis adſtemus, vt audiamus & videamus, quo artificio rem tanti ponderis tanti promiſſor hiatus, perficiat. *Præſcire futura eſt ſolius Dei Iſaiæ* 41. *Item aſpicere tacitos gemitus ſuſpiriaque cordium,* 1. *Reg.* 8. *Aut ergo Ieſuita ſuum de anima Chriſti tractatum deleat, aut increatæ ſapientiæ verbi realem κοινωνίαν animæ Saluatoris attribuat: cumque ſapientia increata verbi & omnipotentia eius, ſimpliciſſimè ſint vnum quid; hanc quoque communicatam ei ſtatuat, omniaque ſua argumenta quibus diuinorum idiomatum communicationem oppugnauit, agnoſcat eſſe falſa & ἀνακόλουθα.* Reſpondeo, ſolius Dei eſſe, vt futura, & tacitas cogitationes præſciat & præuideat ex ſua natura: & ſcientia increata & infinita: interim tamen donum hoc communicari potuit animæ Chriſti, vt quod Deus poteſt per naturam & ſcientiam increatam; id Chriſtus vt homo ſeu ſecundum humanitatem potuerit per gratiam: per ſcientiam, inquam, beatificam & infuſam; vtrâque enim à primo conceptionis ſuæ puncto vberrime donatus fuit; vt proinde nihil opus ſit tua illa Vbiquiſtica communicatione idiomatum diuinorum in animam Chriſti transfuſorum, eo modo, quo id veſtris phantaſiis videtur; ſed nequaquam veritati. En quàm paucis verbis decem tuarum Theſium magniloquentia vel potius ſuperbiloquentia proſternitur. Accingere, ſi quid contrà habes: Si homo non poteſt præſcire futura, & arcana cordium, quomodo Prophetę ea cognouerunt? Si ad iſta reqritur ſcientia increata & infinita, quomodo Prophetę per ſcientiã, lumenq; creatũ in lõgè poſitorũ, & à ſua ætate remotorum cognitionẽ peruenerũt? niſi fortè Prophetis quoq; Vbiquiſticam cõmunicationem diuinorũ idiomatum concedis ad hoc, vt ad labentibus annis futura intelligentiam explicare, abditoſque pectoris alieni receſſus penetrare poſſent.

Bell. lib. 4. de Chriſto, cap. 2. Theſ. 71. & ſeq.

Notetur autẽ inter cætera hoc Hunnii mendacium; cum ait: *Pontificios docere, Mariæ virgini; omnibuſque ſanctis diem iudicii eſſe cognitum.* Quinam iſti Pontificii? Sed ſinamus, vt hoc etiam emblemate Labyrinthum ſuum exornet. Pergit Labyrinthi textor: *Negat Bellarminus & Ieſuitæ Moguntini & Ingolſtadienſes communicationem omnipotentiæ diuinæ, competere humanitati Chriſti.* Negant; & rectè. Quid Hun-

Hunnius? En in quantæ contradictionis retia Bellarminum compellat. *Bellarminus concedit humanitati Chriſti conceſſam eſſe potentiam in omnes creaturas; ergo cõcedere cogitur, nolit velit, eidem conceſſam eſſe omnipotentiam diuinam.* En ſupremam & deſperatam prædicantis huius ſeu vanitatem ſeu ignorantiam; ſeu vtramque ſimul. Quaſi vero *potentia* & *omnipotentia* ſint vnum & idem. Quaſi vero, qui dicit, Chriſto ſecundum humanitatem datam eſſe poteſtatem in omnes creaturas; is propterea dicat, Chriſto ſecundum humanitatem datam eſſe ſimpliciter *omnipotentiam*: Cùm omnipotentia ad omnes effectus poſſibiles ſeſe extendat: potentia nequaquam; quod ex ipſis vocabulis manifeſtum euadit. Sed ait Hunnius; *aut intelligit per potentiam ſolam auctoritatem ſine efficaci dominatione, aut realem & efficacem omnium creaturarum gubernationem.* Reſpondeo, Bellarminum hoc poſterius intelligere: ſed vt ſit efficax dominatio & gubernatio, non oportet; vt ad omnes ſimpliciter poſſibiles effectus ſeſe extendat; ſatis eſt, vt ad aliquos: ad quos autem ſeſe extendat hæc potentia Chriſto ſecundum humanitatem tributa, docebit te S. Thomas, ſi doceri aut velis aut poſſis, 3.p.q.13.a.2.& 3.& ibidem commentatores eius, præſertim Gregorius de Valentia tibi non ignotus: & Franciſcus Soarez.

Obiicit Prædicans: *Dominium ſuper omnes creaturas ſolius Dei proprium eſt*: Reſpõdeo, dominium ſuper omnes creaturas quoad omnes effectus, abſolutumque ſimpliciter & independens ſolius Dei proprium eſſe; cuiuſmodi dominium non eſt illud; quod Chriſto ſecundum humanitatem conceſſum dicimus; eſt enim dependens à dominio diuino: nec ad omnes effectus ſeſe extendit, vt antea dictum; quia neq; ad creationem; nec ad annihilationem porrigitur. Itaque aërem verberat Prædicans; cum hanc Theſin ſuam citatione ſcripturarum oppleat: vt oſtendat, dominium ſuper omnes creaturas ſoli Deo competere: & ſi competat etiam Chriſto ſecundum humanitatem, id ei competere per Vbiquiſticam illam diuinorum Idiomatum communicationem.

Theſ. 90.

Cæterùm Hunnius argumentando, vt videtur, defatigatus; mentiri incipit, vt animum, credo, nonnihil relaxet. Vt autem mentiendi argumentum habeat, arripit Pſalterium Marianum à S. Bonauentura compoſitum; *petram ſcandali lapidemque offenſionis* omnibus Prædicantibus. *In Pſalterio Mariano tribuitur omnipotentia virgini Matri, etſi cum verbo,* inquit, *diuino hypoſtaticè non vnitæ.* Paucis me expediam, *ſcaphamque* vocabo *ſcapham*. Mentiris Huñi; non enim ignoraùit

Theſ. 91.

rauit S. Bonauentura omnipotentiam eſſe proprietatem diuinam creaturis ſimpliciter incommunicabilem; ita vt nulla creatura ſimpliciter ſit, & verè propriéque affirmetur omnipotens. Quid ergo ſignificare voluit S. Bonauentura, cum D. virginem *Dominam omnipotentem*, vocauit? hoc nimirum; eſſe omnipotentem, non ſimpliciter, ſed in ſuo genere: ita vt poſſit, quidquid alii omnes cælites poſſunt: quippe Regina & Domina cœli, materque Dei. Nam quod ſimpliciter omnipotentem non nominauerit; inde itidem liquet: quia adiungit: *Poſt Deum nomen eius.* Certè ſi propriè *omnipotens* eſſet: nomen eius non *poſt Deum*: ſed *cum Deo* pariter eſſet. Cur tu Prædicans bonam Bonauenturæ mentem peruertis; niſi quia peruerſus es?

Vide S. Bonauent. 3. d. 14. a. 3. q. 3.

Quàm verò ſcita & docta, quæ ſubnectis, *ſolius omnipotentiæ opera eſſe:* I. *Sedere cum filio in gloria patris.* An non omnes beati cum filio Dei in gloria patris ſedent, licet impari gloria? II. *Dextra ſua cultores ſuos protegere.* III. *Virtute ſua capita inimicorum conterere.* IV. *Laborantibus & tribulatis ad ſe confugientibus refrigerium dare & ſolatium.* V. *Aedificare domum cordis noſtri.* VI. *Mittere de ſedibus cœli, ſapientiam Dei; per quam illuſtrentur homines.* VII. *Mortuos ſuſcitare.* An hæc & id genus talia ſunt, vt in nullum cœlitem, diuino munere, quadrare poſſint? An nemo vnquam mortuos excitauit, præter omnipotentem? Aut ergo Petrus & Paulus mortuos non excitarunt; aut mortuos excitare non ſolius omnipotentiæ opus eſt, vt Hunnius delirat. Etſi enim mortuos in vitam reſtituere propria virtute, opus ſit ſolius omnipotentiæ: attamen mortuos excitare diuina virtute adiutum, id etiam competit ſanctis: quos hoc dono Deus dignatur illuſtrare. Verum de Pſalterio Mariano iam pridem multa diſſeruit Gregorius de Valentia contra venerandum tuum præceptorem Herbrandum; & Ioannes Buſæus in appendice; quam contra tuos libellos de Vbiquitate ad ſuum Apologeticum in Gerlachium adiecit. Cur non refellis, quæ diſputant, antequam nugas iam olim à te, tuoque Magiſtro prolatas, denuo profers? Nam quod Exorciſmum Oetingenſem iam olim à clariſſimo viro Martino Eiſengrinio ſcriptis mandatum, & ab aduerſariorum iaculis defenſum, vellicas; id fortè facis impulſu dæmonis illius; quem Caniſius ex puella illa expulit. Fortè inde expulſus ad te migrauit, ſtabilem fixamque ſedem in pectore tuo fixurus; ex quo nunc poſt tot annos latrat: quia necdum cauſæ irarum doloreſque ſæui exciderunt; alta mente repoſtum manet vulnus illud; quod tunc in ſacratiſſimo Deiparæ ſacello accepit.

Greg. de Valent. lib. 5. de Idololatr. cap. 15.

Eiſengr. in lib. de ſacell. Oeting.

cuius tui inquilini iuſtinctu, mentiris quoque beatam virginem ab Eiſengrinio *in exauditionis alacritate & auxiliandi promptitudine toti venerandæ Trinitati præferri.* Quò auolauit frons tua Hunni? Quò mens? Hoccine Eiſengrinius? Vide ne in te tuumque mendacium recidat cœleſtis fulminis vltio; quam Eiſengrinio aut imprecaris aut ominaris. Pudeat te Prædicans huius tuæ impudentiæ. Sed ſurdo canimus; cum Hunnium verecundiæ commonefacimus. Iam dudum Frontem exuit. Fabrum Stapulenſem, quem in theatrum hic producis, tanti facimus, quanti tuum Fabrum Tubingenſem. De hoc iam olim Magiſtro tuo Smidelino reſpondit Gregorius de Valentia: vt tibi Buſæus, vt & de Paulo Kemerio; quem quondam vocaſti *Ieſuitam;* quod mendacium à Buſæo reſorbere iuſſus; necdum fortè concoxiſti. Item de Ertlino; qui nunc tibi *Ertlius.* Addis iam Caſparum Francum; qui pro inuocatione ſanctorũ citat illud S. Hieronymi aduerſus Vigilantium collegam tuum: *ſi agnus vbiq; eſt; ergo & ſancti; qui ſequuntur agnum, vbiq; eſſe cenſendi ſunt.* Ad hoc teſtimoniũ reſponſum quidem accepiſti à Buſæo; cur, ſi diſplicebat, non refutaſti? Nõ repeto, in medio poſitus eſt liber Buſæi. Adiicio duntaxat: Agnum, quod ad humanitatem attinet, eſſe vbiq; ſcientia & cognitione, quia omnes ſibi ſupplicantes, quocunq; loco ſupplicent, cognoſcit: ſic & ſancti cognitione ſunt vbique; quia omnium preces ad ſe fuſas, vbicunq; locorum concipiantur & inſtituantur, intelligunt vel in verbo; vel per peculiares reuelationes ſibi à Deo factas. Si hæc ſupra captũ tuum ſunt, non eſt quod miremur; cum præter calumnias & figmenta nihil capias.

Redis ad Pſalterium; in quo virgini Mariæ adſcribitur, *quod in omni tribulatione, præcipuè in hora mortis, adſit cultoribus ſuis, ad auxiliandum eis, & excipiendos illorum ſpiritus, & deducendos ad regna cœlorum.* Quid hinc colligis? videlicet id, quod ſoles. *Rurſus Mariæ maieſtas præſentiæ,* inquis, *in omnibus neceſſitatibus ſuorum cultorum tribuitur, etiam citra vnionem; quam maieſtatem Chriſtus, quà homo, ne per vnionem quidem, ex Ieſuitico decreto, conſequi valuit.* Deliras Hunni: Petitur enim à D. Virgine, vt ſub horam mortis; rebuſque in arctis, nobis adſit, precibus & interceſſione apud Deum: vt eius interuentu à periculis liberemur, & ad vitam æternã perducamur. Quam ad rem, neceſſariũ nõ eſt, vt B. Virgo corpore nobis ſit præſens; ſufficit ſi in cœleſti patria cõmorans, quib᷑ præſidiis egeamus, intelligat. Multo min᷒ ad hoc neceſſaria eſt veſtra illa Vbiquitas; vt ſcilicet vbiq; locorum corpore D.

Virgo

Teſt, 103.

Digitized by Google

Virgo ſit præſens. Etſi nō dubito, ſæpe nonnullis corporaliter p̄ſentē fuiſſe: ſed aut tunc cælum deſeruit, aut ꝙ cōmodè fieri & intelligi poteſt; ſimul & vno tēpore, pluribus in locis fuit. Quā in pluribꝰ locis exiſtentiam Chriſto nunquā nos negauimus; poteſt enim, ſi velit, pluribꝰ locis ſe præſentem ſiſtere, etiam extra Euchariſtiam. Illam dunraxat monſtroſam Vbiquitatem & omnipræſentiam ei competere negamus; quam vos ei ex vi vnionis hypoſtaticæ affingitis.

Liberaliter autem, vel potius illiberaliter mentiris, cum ais, nos inficiando hanc veſtram commentitiam omnipræſentiam, *plus diuinæ maieſtatis Mariæ citra & extra vnionem hypoſtaticam tribuere; quàm Chriſto, vt homini, per & propter vnionem hypoſtaticam cum Deo verbo. Ligonem* liceat vocare *ligonem*. Mentiris Hunni. An non Chriſtus, vt homo, ſubſiſtit in diuini verbi hypoſtaſi; quæ talis ac tanta eſt maieſtas; vt maior infra increatam eſſe nequeat. An hæc maieſtas Deiparæ Virgini competit? An non veriſſima eſt hæc plena maieſtatis diuinæ enunciatio? *Chriſtus homo eſt Deus. Hic homo eſt Deus.* An hoc tantum elogium quadrat in diuam Virginem? An non Chriſtus, vt homo, eſt iudex viuorum & mortuorum? An non Rex & Dominus vniuerſorum? An non *differentius* præ aliis omnibus nomen ſortitus eſt? Quid igitur tu fabularis, plus maieſtatis ſine vnione hypoſtatica concedi matri; quàm Chriſto, vt homo eſt, cum vnione hypoſtatica?

Nunc ſecundæ ſui Labyrinthi parti de perſona Chriſti, decentiſſimum colophonem imponit; cum ex Catholicorum de Euchariſtia dogmate euinci dicit; Vbiquitatem corporis Chriſti admittendam eſſe; aut dogma de Euchariſtia *abſurditatibus non finiendis laboraturum*: Quas abſurditates non noſtras, ſed ſuas, antequam omnium conſpectui ſubiiciat, viam & rationem monſtrat, qua Vbiquitas non modò poſſit, ſed & debeat defendi. Ex ſententia, inquit, Pontificiorū *verè adeſt corpus Chriſti in locis omnibus; quibus Miſſa dicitur; nec tamen vel extenditur, vel ob locorum diuerſitatem multiplicatur, vel ſubſtantia eius deſtruitur, ſed citra expanſionem vel multiplicationem, vel deſtructionem, verè adeſſe poteſt, idque citra reſpectum vnionis hypoſtaticæ & ſeſſionis in dextra maieſtatis: Ergo multò magis nos abſque prædictis abſurditatibus præſentiam corporis Chriſti in omnibus ſimpliciter locis aſſerere poſſumus, ex ipſamet vnione perſonali, & ſeſſione in dextera Dei, ceu immoto fundamento præſuppoſito.* An non eſt hæc belliſſima conſequentia? An non digna generali Superintēdente, ſeductore & impoſtore Saxoniæ, qui duplici Lutheri ſpiritu ebrius, in eiuſdem cathedra furit? Theſis 7.

Digitized by Google

Nunc ad abſurditates: *Niſi Pontificii Vbiquitatem admittant; tunc aut coguntur negare præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia.* Numerate, ô vos Hunniani pulli, mendacia & imperitiam: *aut ſi non negent, neceſſe habent confingere perpetuum deſcenſum in Euchariſtiam; & abſoluta Miſſa rurſus ſubinde receptionem in cœlum.* (Quid inſulſius? quid indoctius hoc Prædicante, in rebus tam tritis aut hallucinante, aut alios decipiente?) *Et cum in multis locis Miſſæ celebrentur, continuas perpetuaſque motiones de vno loco ad alterum.* O plumbeum acumen Hunnii! *Quo pacto nihil erit corpore Chriſti inquietius.* O prope dixerim ferula caſtigandam in Doctore & controuerſiarum omnium examinatore ignorantiam. Quaſi verò Chriſtus per motum localem præſens ſiſtatur in Euchariſtia; quaſi cum ſpecies panis corrumpuntur, per motum localem rurſus abſcedat. Quantæ tenebræ in cerebro huius Prædicantis, qui animo & cogitatione præſentem ſe in loco ſiſtendi nullum alium modum concipere & informare poteſt, quam ſibi vſitatum, hoc eſt, cum, qui fit localis motus interuentu. *Hæc eſt magna cæcitas cordis*, inquit S. Auguſtinus, quando ei cum Petiliano, huic non abſimili Prædicante, negocium erat, *& ſi nec ipſam in vobis agnoſcitis, hæc eſt maior cæcitas cordis.*

S. Auguſt. lib. 2. contra Petil. cap. 67.

At necdum fatuari deſinit; *Si*, inquit, *hæc paradoxa euitare velint, aliud effingent, nimirum, non id corpus, quod in cœlos olim aſcendit, eſſe in Euchariſtia; ſed id manere tantum in cœlis, quoddam verò aliud Chriſti corpus, imò infinita corpora Chriſti, ex panibus innumerabilibus in Euchariſtia confici.* Cui vnquam Orthodoxorum hoc commentum Hunnianum in mentem venit? Quis Vbiquitatis oppugnator & præſentiæ corporis Chriſti in Euchariſtia propugnator, vnquam eò, quo Hunnius mentitur modo, Euchariſticum dogma defendit? At Hunnius pro imperio agit; *nolint velint; velint nolint; aut hoc aut illud dicere debebunt.* Scilicet tu Orthodoxos coges, & vel inuitos adiges; vt quæ tu deliras, pro armis aduerſus te aſſumant. *Verecundia in rebus tam manifeſtis*; terminabo enim hunc locum verbis S. Auguſtini; *vel etiam ipſa impudentia obmuteſcere poteſt; inſania non poteſt.*

S. Auguſt. libr. 4. contra Creſcon.

CAPVT

CAPVT IV.

De officio Chriſti Redemptoris & Mediatoris.

INITIO huius capitis ſcripturas agglomerat, vt iis, tanquam eſca, incautos in fraudem pelliciat: & agglomerat ei rei probandæ, quæ probatione non eget; videlicet, Chriſtum eſſe vnicum humani generis *Saluatorem.* Et vt probatio ſolidior ſit; tergeminum addit mendacium. I. *Doctrinam de vnico mediatore prope totam iacuiſſe ſepultam ſub regno Pontificio.* II. *Doctrinam hanc fuiſſe horribiliter ſub Papatu obtenebratam.* III. *Pontificios in diuerſiſsimas opiniones de vnico Mediatore & Saluatore fuiſſe diuiſos.* Hæc mendacia Hunnij iam olim redarguit clariſſimus vir Doctor Ioannes Piſtorius; in centuria mendaciorum Hunnianorum. Pupugit ea redargutio Hunnium: ſtimulis ergo D. Piſtorij irritatus, & in furorem verſus pollicetur an vociferatur 1. *Se ad oculum demonſtraturum tria illa ſua mendacia eſſe vera.* 2. *Se id demonſtraturum quoque ad conſcientiam Piſtorij.* 3. *Se demonſtraturum; pontificios ex propriis hypotheſibus eò adigi; vt doctrinã de mediatore apud pontificios traditam improbare cogantur, & hoc, nolint velint.* 4. *Se itidem effecturum; vt Pontificij in ſuis conſcientiis fateantur* (nolint velint) *errores pernicioſiſsimos de hoc capite publice inualuiſſe.* Occurrit illud Iſidori apud Bedam: *Sæpè vera promittit, qui falſa dicturus eſt, vt cum primùm acquiſierit fidem, ad reliqua mendacia audientes credulos faciat.* Addit Prædicans: *niſi hoc à me fuerit euidentiſsimè demonſtratum, nolim ego mihi quidquam fidei in omnem æternitatem haberi.* En huius Thraſonis arrogantiſſimũ ſupercilium; qui fidẽ datam nunq̃ liberabit in omnẽ æternitatem, ſed fortè eò profuſius & impudentius fidẽ obligat: quia ſcit ſibi nullam eſſe; quocirca ſecurus fidem obſtringit; non ignarus, ſi fidem fallat; nihil abs ſe repeti poſſe, cum nihil ſuppetat. Et plerumq; fit, vt qui minima eſt fide, fidẽ ſuam verboſiſſimè & inſolentiſſimè ia-

Theſ. 109. & ſeq.

Bed. in Scintil. Tom. 7.

ctet & oppigneret. Sed ſinamus glorioſum iſtum prædicantē, circumforaneorum more, ingenti verborū ſtrepitu polliceri, quæ nunquam præſtabit: Videamus; quomodo promiſſa nunq̃ præſtanda præſtare aggrediatur; ſi quis tamē tam patiens eſt; vt prædicantē mēdacia mendaciis, calumnias calumniis, inſcitias inſcitiis, fraudes fraudib' nectentem & aggerentē, ſpectare poſſit: etſi primū caput; nempe *ſua mēdacia, eſſe vera mendacia*, demonſtrare non modò non erit Hunnio impoſſibile, ſed ne difficile quidem; vti nec alterum, quia Piſtorius vltro credit; tua mendacia nihil aliud eſſe quam mendacia. Nec vllam huius rei probationem à te exigit.

Fuerūt, inquit, *qui docerēt, patres ante Moſen ſaluatos eſſe per legē naturæ: ſequentes deinde patres poſt latam legem ſaluatos per legem illam Moſis: iam verò in nouo teſtamento ſaluari homines per legem Chriſti*: Tu verò nomina Pontificios, qui docuerint, patres antiquos per ſolā legem naturæ; hoc eſt, per ſolos actus naturales, ſine vllis ſupernaturalib' actionibus, vi ſolius legis naturalis, ſalutem conſecutos eſſe; Ita enim tu intelligis. Nomina qui dixerit, antiquos poſt legē Moyſis datam; vi ſolius legis Moſaicæ ad primā & vltimam ſalutē perueniſſe. Tu nominas *Latomū*: & preterea *vnum & alterum*. At 1. nec Latomus; nec vnus aut alter cum illo, ſunt aut omnes, aut pleriq; Pontificij; nec tanti, vt ſi in hunc errorem incidiſſent; ideo tota Eccleſia inſanis tuis clamoribus traduci debeat. Secundò, cur non notas locum, vbi Latomus ſcripſerit, *Abrahamum, non aliam de Chriſto doctrinam habuiſſe, quàm Socrates, Plato, vel alij Ethnici habuerunt*. Sępius iam teſtatus ſum: me nulli hæreticorum, ac omniū minimè tibi, fidem habere, cum locum quempiam orthodoxi ſcriptoris allegant; niſi librum, caput & paginam quoq; ſpeciatim annotent. Noui non vno experimento edoctus; quo candore tam ſacra; quam Eccleſiaſtica Doctorū noſtrorum monumenta tractetis. Itaq; ſi quid dignum tuis illis ſuprapoſitis verborum ampullis facere volebas, iam nunc in accuſatione tam graui, omnia ſignatè determinanda erant, vt de fide tua dubitatio nulla ſuboriretur.

Alias quid procliuius; quā ſuſpicari, te Latomū eo modo citare, quo olim Petilianus recitauit verba S. Auguſt. Scis quomodo recitauerit? amputauit antecedētia & ſubſequentia, relicta ſola & vnica ſententia; quæ ſeparatim poſita, non tantùm falſa; ſed & impia erat, vt videre licet apud ipſum S. Auguſtinum; coniuncta autem cum reliquo orationis corpore, nō modò veritati & pietati cōſentanea erat, ſed tam conſentanea, vt & Petiliano, & omnibus Donatiſtis ceruicem frangeret.

S. Auguſt. lib. 3. contra Petilian. cap. 46.

Racitauit,

Recitauit, quemadmodum ſi illi, quos Apoſtolus arguit quia dicebant, nõ eſſe reſurrectionem mortuorũ; eundẽ Apoſtolum accuſare vellent, quoniã dixit, Neq; Chriſtus reſurrexit, & inanem eſſe prædicationẽ Apoſtolorum, inanem etiam fidem credentium, falſoſq; inueniri teſtes aduerſus Deum, qui dixiſſent, quòd ſuſcitauerit Chriſtum; hoc inq̃ modo recitauit, quo modo nominata verba Apoſtoli illi, quos reprehẽdebant, recitare potuiſſent, ſi calumniatores eſſe voluiſſent. Eodẽ candore te cum Latomo egiſſe; nõ dubito. Et quid dico? *dubito.* Quin ſcio; te Latomo ſummã iniuriã facere; & vel hoc vnico tã impudente mendacio cõmeruiſſe, vt in *omnem æternitatẽ* nulla penitus tibi amplius fides habeatur: nam vt duo tantũ loca ex Latomo adferam; an non in libro contra Oecolampadiũ cum S. Aug. diſertis verbis aſſerit; in patribus ante legem; & in prophetis, & iuſtis ſub lege, eundem, ſecundum ſubſtantiam, veri Dei cultum, eandemque religionem fuiſſe, quæ modo eſt in veris fidelibus ſub gratia; quamuis non vocaretur hoc nomine, hoc eſt, religio Chriſtiana. *Pag. 120.*

Scriptura enim indicat, inquit Latomus, *quo tempore vera religio cepta ſit vocari Chriſtiana. Si ergo Chriſtianũ definias à fide in Chriſtum; Abrahã, Dauid, Iſaias ſunt Chriſtiani, quamuis ante legem vel ſub lege fuerint & dormierint, nondum acceptis promiſſionibus: & tamen Abraham debuit carnaliter circumcidi, quod onus tranſmiſit ad omnes poſteros vſq; ad Chriſtum. Et ſancti, Dauid & Iſaias graue onus Moyſis portare debuerunt, quod liberi erant Spiritu, morti Chriſti, etſi adhuc futuræ, acceptum ferebant, nec minus clamabant: Oſanna filio Dauid, qui præcedebant, quàm qui ſequebantur. Ipſi credebant, ſperabant, amabant eadem, quæ nos credimus, ſperamus amamus; ſicut ſcriptum eſt, credidi propter quod locutus ſum; & nos inquit Apoſtolus, credimus, propter quod & loquimur.*

An non vel ex hoc vnico loco clariſſimè tua impoſtura & fraudulentiſſima fallacia reuincitur? Addamus tamen & alterum. Idem enim Latomus in libro de fide & operibus, refutans hoc argumentum cuiuſdam anonymi libelli; *Patres veteris teſtamenti non ſunt adepti beatitudinem ſuis meritis, ergo neque in nouo teſtamento noſtris actionibus æterna vita comparatur. In hoc, inquit, erratur, quod negat, Abraham, Iſaac & Iacob, cæteroſque, qui vel ante legem, vel ſub lege vixerunt, ſanctos, vitæ innocentia, & laudatiſſimis actibus ſalutem meruiſſe, id quod replicatur & capite ſequenti. Nec aliud argumentũ, vt videtur, magis efficax, ducunt, quò probent, bona opera nihil valere ad parandam ſalutem & immortalitatem. Itaque alicubi ſic annotatum in margine vides: argumentum efficax alicubi ſic; argumentum efficaciſſimum, quod ex operibus non eſt ſalus;* *Pag. 137.*

videli-

Digitized by Google

videlicet, quod patres ſupradicti ſalutem & immortalitatem aſſecuti non ſint, antequam Chriſtus naſceretur & pateretur, quare ſalutem illis operibus, vt iſtis videtur, non meruerunt. Atqui non alio argumento magis declarat Oeconomica, (ſic enim appellabatur libellus Anonymi Auctoris, quem Latomus refellit) *in quanta verſetur rerum Chriſtianarum ignorantia. Quis enim Chriſtianus tam rudis eſt, vt neſciat præcedentiū ſanctorū bona opera ex fide venturi facta, valorem habuiſſe ex merito paßionis Chriſti, licet adhuc futuræ, ſicut opera ſequentium efficaciam accipiunt à fide eiuſdem paßionis exhibitæ. Alioqui eadem ratione concludas, nec fidem Euangelicam valere ad parandam ſalutem & immortalitatem, cum Abraham cæteriq; ſumma fide præditi, ſalutem & immortalitatem ante Chriſtum paſſum non ſint adepti. Atq; hoc argumento euerſa puto, quæcunq; verboſiſſimè congeßit* Oeconomica *pro fide aduerſus opera. Itaque argumentum, quo vtitur, efficax quidem eſt, ſed aduerſus argumentantem, quandoquidem ſicuti meruit Abraham ſalutem æternam & immortalitatem, ita & operibus: ſed & fidei & operum merces non ante Chriſti paßionem reddita eſt, non ideo tamen nulla eſt; quia dilata eſt, donec morte Chriſti ſolutum eſſet Adæ delictum. Taceo quod de Patriarchis & Prophetis, & hic, & alibi ita loquitur, tanquā innocentia vitæ & præclara ipſorum opera, aut legi tribuenda ſint, aut naturæ, vtique ſecluſa gratia, cum ipſi per gratiam operati ſint; eatenus pertinentes ad teſtamentum nouum, & ad legem perfectæ libertatis, quamuis agerent ſub lege naturæ aut Moyſi.* Hæc Latomus.

Quid iam, amice lector, de Hunnio ſtatuemus? An vllam ei fidem amplius adhibebimus? An Latomus qui hæc de Abrahamo & patribus ante legem ſcribit & ſentit, id ſcribit & ſentit; quod Hunnius per ſummū ſcelus Latomo affingit? nempe Abrahamū & alios Patres non aliam doctrinam ſub lege naturæ habuiſſe de Chriſto, quàm Platonē, Socratē & alios Ethnicos? Quocirca cum tam perfrictè mentiatur de Latomo, cuius monumenta publicè exſtant: non eſt cur verax cenſeatur quando ſubdit: *Franciſcanū quendā in Concilio Tridentino publicè concionatum eſſe, gentiles, qui vitam honeſtā duxerint, etiā ſine cognitione Chriſti ſaluatos eſſe: & hanc eſſe genuinam Pauli ſententiam, in Epiſtola ad Romanos cap. 2.* Non eſt, inquam, cur verax cenſeatur; præſertim cum huius figmenti ſimilem ſibi teſtem laudet Schleidanum, qui dum Hunnius adhuc in cunis vagiret, mentiendo, omni fide, *in omnem æternitatem,* indignum ſeſe reddidit. Deinde vt ſcripta; ita multò magis dicta Catholicorum ſcripto nō mandata Hæretici deprauant, & ex peſſima mente in peſſimū ſenſum detorquent. Itaq; quod concionator ille intellexit

Theſ. 117.

de fide

Digitized by Google

de fide *explicita* in Chriſtum,hoc iſti candidi homines interpretantur de omni fide in Chriſtum; quaſi ſaluari ſine explicita fide in Chriſtũ; ſit ſaluari ſine vlla fide in Chriſtum; hoc eſt,etiam ſine *implicita;*

Item,quod concionator ille dixit;*vitã honeſtam & fugam peccatorũ, etiam in ſolo naturæ lumine,eſſe præparationẽ quandam ad ſalutẽ primam & vltimam conſequendam; facienti enim quod in ſe eſt, Deum non deeſſe*; id iſti accipiunt; quaſi dixiſſet aliquem, etiam ſine actuali Dei auxilio,ſolius naturæ præſidio,omnia contra legem naturæ peccata vitare;itemq; in hoc ſtatu perſeuerantem;nec ad ſublimiorẽ gratię gradum euectũ,iuſtificationem ſimul & beatitudinem adipiſci poſſe. Sic malitia ſimul & inſcitia inſtructi inuertunt & peruertunt, quæ alioquin veriſſima ſunt pariter & ſaluberrima. Nec,vt dicebam,mirandum eſt; ſi prædicantes verba litteris nõ mandata peruertere nitantur; cũ à ſcriptis, calumniæ minus obnoxiis,non abſtineant. Ecce recens exemplum ab Hunnio, qui mentitur;Andradium Luſitanũ ſenſiſſe:Philoſophos & Ethnicos ea,q̃ ex philoſophia habuerunt, cognitione ſalutem conſecutos: cum expreſsè contrarium aſſerat iis ipſis verbis;quæ prædicans adducit. Et ſunt iſta:*Nulli dubium eſt fidem neceſſariam eſſe ad iuſtitiam & vitam æternam. Iuſtus enim ex fide viuit. Illa verò fides & vera Dei cognitio ad iuſtitiã & ſalutem æternam non tantum ex ſacris litteris,diuiniſq; oraculis,ſed ex iis etiam rebus,quæ ſenſibus ſubiiciuntur,haberi poteſt.* An non ait fidem, fidem inquam ſupernaturalem, neceſſariam eſſe ad ſalutem & beatitudinem? Eſtne cognitio Philoſophica fides ſupernaturalis ex ſententia Andradij?nam quod ait, *fidem non tantum haberi ex ſacris litteris, diuiniſq; oraculis;ſed etiam ex rebus,quæ ſenſibus ſubiiciuntur,* minimè vult, ſcientiam,quæ hauritur ex rebus creatis,eſſe fidem:ſed,hominem hac cognitione, qua cognoſcit res creatas, earumque conditorem, manu quaſi duci,vt diuina gratia præuentus & adiutus, eundẽ etiam omniũ rerum parentem, reſq; captum naturæ excedentes per fidem ſupernaturalem diuinitus ſibi datam cognoſcat & credat. Quod verum eſſe teſtatur Apoſtolus, cuius hæc oratio: *Inuiſibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta,conſpiciuntur; ſempiterna quoq; eius virtus & diuinitas:ita vt ſint inexcuſabiles.* Cur iſti excuſatione nulla ſe defendere poſſunt? ideo nimirum;quia gratia Dei vſi non ſunt:qua,ſi vti voluiſſent; ab hac naturali cognitione ad ſupernaturalem procedere potuiſſent. *Rom. 1*

Fabulã de Traiano cur tu hic oggeris,cum,vt ipſe fateris;illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus fateatur eſſe fabulam? & præter illũ Illu- *Bellar.lib 1 de purgat. cap. 8.*

Baron. Tom. 12

ſtriſſimus quoq; Cardinalis Baronius,& alij. Quod ſi hiſtoria eſt,non fabula,quid quæſo ad ꝓpoſitum tuũ facit? Tuũ eſt demonſtrare (etſi iam inſtituti tui oblitus videris) ex doctrina noſtra Chriſtũ non eſſe vnicum ſaluatorẽ & mediatorẽ noſtrum. Si Traianus ex inferno liberatus eſt; Chriſti redemptoris merito & beneficio liberatus eſt. Imo Chriſtus vel maxime ei ſaluator, mediator & redemptor fuiſſet. Ais; *adſcribi hanc liberationẽ precibus Gregorij.* At non alio modò, ꝙ quo B. Pauli conuerſio precibus S. Stephani adſcribi ſolet. Qui modus plane nihil obſtat;quo minus Chriſtus & ſit,& maneat ſolus & vnicus mediator Dei & hominũ,eo ſenſu,quo deſcribitur ab Apoſtolo,cũ ait: *Vnus eſt mediator Dei & hominũ homo Chriſtus Ieſus.* Quis eſt iſte vnus? Nimirum, *qui dedit ſemetipſum redemptionẽ pro omnib⁹*; qui natura medius eſt inter Deum & hominẽ; quippe homo & Deus, qui vi & dignitate ſua mediatoris munus obiit & expleuit, noſq; Deo reconciliauit, à nullo alio homine adiutus,qui ex iuſtitia apud patrẽ pro omnibus ſatisfecit; atq; adeo redemit omnes. Quæ cõditiones in neminẽ ex ſanctorũ numero conueniunt:neq; vlli ideo attribuuntur; quia preces ab eo & interceſſiones apud Deũ poſtulantur;aliâs,ipſi etiã hæretici,contra ſuos clamores,alios mediatores ſibi crearent;cum preces alienas ſæpius expetant;non quidẽ à ſanctis cum Chriſto regnantibus, ſed à ſuæ perfidiæ gregalibus. Nec opus pluribus de mediatore.legatur Bellarminus & Gregorius de Valentia; ſtatimq; apparebit; quanta ſit huius prædicantis adeo vociferantis ruditas & peruerſitas. Illud itẽ planũ fiet,meritiſſimò à D.Piſtorio iam olim aduerſus iſtũ rabulã dictum & ſcriptũ eſſe;ad *ſolum,ſolũ ſolum* meritũ Chriſti ſalutis omnis rationẽ referendã eſſe;ex dogmate & vſu Eccleſię Rom. Non enim aliũ agnoſcimus Redemptorẽ,quàm Chriſtũ;non alium mediatorẽ talem;qualis ab Apoſtolo depingitur,ꝙ Chriſtũ;illi *ſoli,ſoli,ſoli,* tamꝙ primo auctori ſalutẽ omnẽ gratiſſima mente tranſcribimus: Ille enim ſolus Chirographũ, ꝙ aduerſus nos erat,deleuit, Deumq; ita inflexit,vt quantũ in ipſo eſt, velit nobis recõciliari,nobiſq; ſuppeditare pręſidia; quib⁹ indigemus, vt in ipſius gratiã redeamus,pœnamq; peccatis debitam euadamus; & aditũ ad beatitudinẽ habeamus. Ille ſolus nobis obtinuit;vt Deus tandem in gratiã ſuam nos reipſa recipiat, ſuppliciiſq; decretis eximat; Et quidẽ primum illud obtinuit nobis Chriſtus Dominus abſolutè & ſine vllo ad vllum mediũ reſpectu. Hoc aũt poſterius obtinuit nobis nõ ſimpliciter & abſolute;ſed cũ reſpectu ad certa quædã media;quę ſunt fides, baptiſmus, pœnitentia, & id genus alia, quod neceſſariò ab ipſis itidẽ ſectariis affirmandũ eſt; niſi eò ſtoliditatis ꝓcedere velint, vt di-

1. Timoth. 2.

Bellar. lib. 1. de ſanctis cap. 20. Greg. de Valent. Tom. 3. d. 6 q. 2. p. 7. & tom. 4. d. 1. q. 23. p. 3.

Digitized by Google

tant, ne fidem quidem aut baptiſmum ad ſalutem primam & vltimam eſſe neceſſariam. Si enim Chriſtus nobis obtinuit, vt ſine vllo ad vllum medium reſpectu in gratiā recipiamur; non ergo opus eſt fide, non opus eſt baptiſmo; quia hæc, præſertim fides, ex Sectariorum doctrina, vtiq; ſunt media, ſalutem apprehēdentia, ex quo rurſus ſequitur, Ethnicos, Turcas, & quoſuis alios infideles iam reipſa in gratiam Dei receptos, & reipſa ab inferni ſuppliciis exemptos eſſe. Quod ſi tam pfani & impij needū ſunt; vt hæc tam profana & impia affirmēt; ſed vnum ſaltē aut alterū medium ad gratiam Dei reipſa apprehendendam ſtatuunt; idque ſine vlla iniuria Chriſti redemptoris; concedant & nobis, vt ſtatuamus media; quorū vſu reipſa gratiā Dei conſequamur; idq; citra vllā Chriſti mediatoris & redēptoris noſtri iniuriā.

Verùm, vt rem in pauca conferam, ſic habeto Hunni. Primum ex ſupra dictis; *ſolus, ſolus, ſolus* Chriſtus nobis meruit quia ſolus effecit, vt nobis Deus quantum in ipſo eſt, reconciliari vellet. Secundum itidem: vt ſcilicet reipſa etiam nobis reconcilietur, ſolus Chriſtus nobis meruit; ſed dependenter à mediis, & à cooperatione etiam humana: loquendo de illis, quibus rationis vſus conſtat. Tertiò, ſolus Chriſtus meruit nobis primam iuſtificationem ex condigno; etſi dependēter à cooperatione noſtra; non tamen à merito. Quartò, ſolus Chriſtus nobis meruit, vt iuſtificati iam vitam æternam obtinere, & de condigno mereri poſſimus: cū ergo tot modis ſalus prima & vltima à Chriſto ſaluatore & redemptore noſtro dependeat; meritò ſolis illius meritis adſcribitur; qa & merita noſtra, hoc ꝙ ſunt; nō aliundè habent; ꝙ̄ à meritis Chriſti Domini. Sed contra argumentatur Hunnius: *Solis meritis Chriſti adſcribitur vita æterna: ergo non noſtris: quia ſi noſtris, non igitur ſolis.* Reſpondeo, ſolis Chriſti meritis adſcribitur, tanquam cauſæ principali & originali, ex qua omnis vis ad reliquas redundat: non autem adſcribitur ſolis Chriſti meritis; quaſi nulla alia inferioris ordinis cauſa meritoria, cum Chriſti merito concurrat, ſicut gubernatio regni attribuitur ſoli regi; per hunc tamen loquendi modum minimè excluduntur; qui poteſtate à rege accepta ſimul cum Rege regno gubernando præſunt.

Quærit P[ræ]dicans, *quando Chriſtus nobis iuſtitiam & ſalutem ſit meritus.* Reſpondeo, completè & abſolutè tunc, quando dixit; *conſummatum eſt*; hoc eſt, per paſſionem & mortem ſuam. Obiicit Prædicans: *Meruit nobis vitam æternam in ipſa paſſione; ergo nos illam non meremur.* Ingenioſa cōſequentia, ꝙ̄ ingenioſius adhuc probat. *Ante multa ſæcula*

ſufficientiſsimè promeritus eſt nobis Chriſtus vitam æternam: ergo noſtra merita non habent locum. ſi conſequentiã neges; quomodo ei fidem conciliabit? Nimirum per inanem tautologiam. *Chriſti meritum eſt exuberantiſsimum & abſolutiſsimum; ergo nullum locum relinquit merito noſtro.* En probationes; & quidem *ſuperlatiuas*, vt eò grandius ſonent; aureſq; Lutheranas magis impleant. Attende prædicans. Meritum Chriſti non imminuitur per merita noſtra; ſicut per ſtellæ ſplendorem, non imminuitur ſplendor ſolis. Imo hoc non exiguum argumentum eſt ſummę exuberantiæ, perfectionis & abſolutionis meritorum Chriſti; cum tam ſint efficacia; vt noſtris etiam actionibus vim merendi tribuere queant.

Hactenus luſit duntaxat Hunnius. Nunc primùm ſeriò agere & triaria argumenta proferre incipit, præſertim aduerſus inuictũ illum triarium Piſtoriũ; quem conuincere vult, (nolit velit) ſed cuius criminis? *Quod obedientiam Chriſti non ſinat eſſe iuſtitiam noſtram.* En miſſile, quod ſpargit. *Si obedientia Chriſti eſt noſtra iuſtitia; aut eſt noſtra per imputationẽ, aut per inhæſionem. Non per inhæſionem; quia conſiſtit in opere Chriſti ante multa ſecula extra nos præſtito. Imputationem autem illius reiicit ac ridet Apoſtata. Ergo obedientiam Chriſti planè negat eſſe noſtram iuſtitiam.* Nimis citò concludis prędicans. Nihil minus ſequitur. Quia illa obedientia Chriſti Domini, quam patri exhibuit, tertio quodam modo noſtra iuſtitia eſt: non per imputationem; quia hoc Lutheranum eſt; non per inhæſionem; quia hoc vanum eſt; ſed per meritum; quia meruit nobis iuſtitiam noſtram, quæ nobis per inhæſionem ineſt. Et de hoc tertio modo nihil tibi occurrit; quia nihil occurrit, niſi quod calumniæ idoneum ſit. Dices fortaſſis, non poſſe eſſe iuſtitiam noſtram, niſi aut per inhæſionem, aut per imputationem. Sed dices tantùm, non autem probabis; & dices conſueta illa tua vaniloquentia, fide data; quæ nulla tibi; *vt niſi ad oculum demonſtraueris, in omnem æternitatem* nulla tibi habeatur fides.

Ais; *aut immediatè meruit nobis Chriſtus vitã æternam, aut mediatè.* Reſpondeo, immediatè, ſed hac cõditione, vt ſimul eam mereamur: ſicut Deus naturalem effectum quempiã producit immediatè; ſed ea lege; vt cauſa ſimul ſecunda producat. Obiicis Piſtorio Keiſersbergiũ; obiicis quoq; cenſuram Colonienſem, aſſerentes, *cooperatione noſtra opus eſſe in negotio ſalutis.* At quo fine obiicis? Nonne ipſe Piſtorius loco à te adducto fatetur nos vitam æternam mereri? Cur ipſe tibi figmenta fingis, quæ per alia figmenta refellas? Fingis Piſtorium dicere

Digitized by Google

nos vitam æternam non mereri; moxque opponis alios communionis noſtræ Doctores oppoſitum affirmantes. Quid opus iſtis probationibus & auctoritatibus, ſi tu mentiri nolis? Piſtorius nunquam dixit, nunquam ſcripſit, quod tu ei affingis, imo contrarium planè dixit & ſcripſit verbis planis & perſpicuis. Quid tricaris nugator? At dixit nos ſolo Chriſti merito ſaluari. Sed dixit id ſuo ſenſu; vero & Catholico; non tuo; falſo & hæretico. Dixit id, quia à ſola paſſione & merito Chriſti prouenit; vt vitam æternam mereri queamus. Dixit id, non excludendo ea; quæ cum meritis Chriſti iuncta vitam æternam merentur; totamq; vim merendi aliunde, quàm ex Chriſti merito non habent; qualia ſunt merita noſtra.

Quid, inquit, *reſpondebit Piſtorius; toti cateruæ ſcholaſticorum Doctorum, quos vnanimiter docuiſſe conſtat, ne quidem illam virtutum infuſionem, quam Pontificii gratiam primam appellitant, à ſolius paſſionis & mortis Chriſti merito dependere, ſed impetrari eam gratiam merito hominis etiam non renati, & adhuc Deo inimici, quandò videlicet eiuſmodi homini ex puris naturalibus facienti quod in ſe eſt, Deus ex congrui merito ſuam gratiam infundit.* Primo reſpondebit Piſtorius, te mentiri, cum ſcholaſticos Doctores hoc *vnanimiter* docuiſſe ſcribis: plerique enim ſententiam illam Durandi acriter refellunt. At Durandus dicit, *omnes hoc ſentire.* Sed ſi Durandus deceptus fuit, falſumque ſcripſit; an ideo tibi quoque non modò falſum ſcribere; ſed & mentiri licet? Nam poſt Durandi ætatem, quod te non fugit, innumeri exſtiterunt ſcholaſtici, qui ſententiam illam Durandi publicis libris, publiciſque in Academiis recitationibus & diſputationibus reiecerunt. Et ante Durandum eandem multi improbarunt, nominatim S. Thomas 1.2.q.114.a.7. vbi ſimpliciter negat reparationem poſt lapſum cadere ſub meritum de condigno vel congruo.

Theſ. 118 · *Durand. 1. d. 17. q. 2.*

Secundò reſpondebit Piſtorius, te iterum mentiri; cum iterum ais, dogma illud Durandi vtique *per regnum Pontificium fuiſſe receptũ.* Tertio reſpondebit Piſtorius, te calumniatorem eſſe; cum accuſas Pontifices, quod prædictam Durandi & aliorum opinionem non damnarint; *quandoquidem,* vt vociferaris, *eam damnatam oportuit ad innumerabilium animarum interitum auertendum:* hæc enim opinio nemini aut adfert aut attulit exitium; cum opinio tantum ſit, non dogma fidei; cumque omnes, qui eam olim defenderunt, ita comparati fuerint; vt, ſi à ſummo Eccleſiæ præſule, omniumque controuerſiarum iudice declaratum fuiſſet, ſententiam illam ſacris litteris veritatique aduer-

Digitized by Google

ſari; omnes è veſtigio ad nutum & arbitrium ſummi Paſtoris ſeſe conformaſſent; depoſita illa ſententia, & ab omnibus ſcholarum cathedris procul amandata.

Quartò, reſpondebit Piſtorius; te rurſus calumniari; cum tam tragicè exclamas; quaſi opinio hæc in meritum Chriſti ſit *iniurioſiſſima*; cum Doctores, qui eam ſequuntur; expreſsè dicant, neminem primã gratiã acquirere, niſi ex meritis Chriſti Domini: licet .n. iſti meritum de congruo ſtatuant in actionibus, quas ſola facultas naturalis efficit; minimè tamen ipſam iuſtificationem ſolis naturæ virib. adſcribunt; ſed totũ id, ꝙ homini tribuitur propter meritũ de congruo; acceptum referunt meritis Chriſti Domini; cũ ex parte hominis nullũ omninò cauſam meritoriam de condigno admittant, quia ſi meritum Chriſti Domini non eſſet, etiã ipſis moraliter duntaxat bonis actionib. prima gratia non daretur; ex mente iſtorũ Doctorum; q omnes fatentur; vt notauit etiam Vega, gratis iuſtificari peccatores, neque deberi illis gratiam aut remiſſionem peccatorum, ex iuſtitia videlicet, propter vlla opera, quantumuis præcellentia & præclara.

Vega q. 7. de iuſtif.

Quintò, reſpondebit Piſtorius, te imperitum & inſulſum calumniatorem eſſe; nec intelligentem; quid loquaris, aut affirmes. vt enim de aliis Doctoribus, quos citas, nihil dicam, S. Thomæ, & Bellarmino vel ex inſcitia vel ex malitia tribuis; ꝙ ipſi nunquã ſenſerũt: *nempe opera à non renatis & non iuſtificatis ex ſolis naturæ viribus facta, eſſe meritoria de congruo primæ gratiæ & iuſtificationis.* Neutri ea mens fuit: Nam S. Thomas 1.2.q.114.a.3. quẽ locũ tu citas, nõ agit de merito primæ iuſtificationis, ſed vitæ æternæ; nec ei ſermo eſt de actionib. hominis nõ renati ſeu nõ iuſtificati; ſed de actionib. iuſtificati; eaſq; dupliciter conſiderari poſſe ait; primò, *vt ſunt à gratia; & ſic mereri vitã æternã de condigno*; quippè præditas *condignitate quadam* ad præmiũ. Secundò, præciſè vt à libero arbitrio ꝓficiſcuntur; & ſic ꝑditas eſſe quadam *congruitate* propter quandam æqualitatẽ proportionis: *videtur .n. congruũ; vt homini operanti ſecundũ ſuam virtutẽ, Deus recompenſet ſecundum excellentiã ſuæ virtutis.* Vbi S. Thomas nullũ meritũ de *cõgruo* nominat: ſed dicit congruũ eſſe. aliud eſt autẽ congruum eſſe, aliud meritum eſſe de congruo; vt rectè notat Sotus. Et vt idem eſſet; tamen actio, de qua S. Thomas loquitur, non eſt non renati ſeu non iuſtificati; ſed eius, qui Deũ amicum habet; ac proinde nõ niſi malitioſè aut imperitè agis, cũ hunc S. Thomæ locum pro tua calumnia ſtabilienda adducis.

Sotus lib. 2. de natura & gratia, cap. 4.

Locus alter ex 2. ſent. d. 27. q. 2. falſariũ ſimul & impoſtorem te oſten-

Digitized by Google

offendit: tur enim verba S. Thomæ detruncas; ſi candidus es diſputator eaque prætermittis; quæ totam, quam exſtruis calumniarum machinam diiiciunt? Sic .n. eo ipſo loco, quem refers, ſcribit S. Thomas: *Donum gratiæ nullo modo ſub merito cadere poteſt eius, qui eſt in puris naturalibus, & multo minus eius; qui peccato deprimitur.* Si nullo modo, ergo nec *de congruo*, ex ſententia S. Thomæ. Et in ſolutione quinti argumēti ſic ſcribit S. Thomas: *Gratia excedit proportionem naturæ; vnde actus naturales non poſſunt merita reſpectu gratiæ dici, ſed diſpoſitiones remotæ tantum.* Ecce actionibus naturaliter & moraliter tantum bonis, diſertè negat S. Thomas rationem meriti.

Nec iuuant te illa verba: *Opera bona ante gratiam factam præmio ſuo ſibi proportionato non carent*; nam hoc præmium actionibus naturalibus proportionatū non eſt à gratia, ex mente S. Thomę. Quid ergo? Audi S. Thomam; *cauſant enim* (opera ante gratiam facta) *quandam habilitatē ad gratiam: & ſecum etiam quandam honeſtatē & iucunditatē & pulchritudinem habent; in quibus præcipuè,* inquit, *eorum* (hoc eſt operum moraliter bonorū) *præmiū conſiſtit, & aliqua etiā per accidēs creant, nempe bonorū temporalium affluentiam, aut aliquid huiuſmodi; quia frequenter, vt Gregori⁹ dixit, in hoc mundo remunerat eum, qui præmium futuræ gloriæ non meretur; vt nullum bonum irremuneratum inueniatur.* En q̄nam p̄mia S. Thomas bonis moraliter duntaxat actionib. ꝓportionata aſſignet. Vbi tu hic reperis gratiā? Nam ꝙ ait, per exercitiū operū moraliter tātū bonorū effici in animo *habilitatē* quandam: id intelligit de habilitate & diſpoſitione valdè remota & imperfecta; vt patet cū aliunde; tū ex reſponſione ad quintū argumentū; cui⁹ verba paulò ante recitauim⁹.

Deinde aliud eſt ſecundū S. Thomā remota *habilitas* ſiue diſpoſitio ad gratiā; aliud meritū de congruo; pri⁹ tribuit S. Thomas actionibus moraliter tantūmodo bonis, p̄ſertim, ſi mouente & adiuuante Deo, per ſpecialē concurſum efficiantur, at hoc poſterius nunquā illis concedit. Nec excuſant te verba, q̄ citas, ex reſponſione ad argumentum tertium; ſed duplicis fraudis accuſant: Primò, quia verba S. Thomæ mutilas, & ab aliis abrumpis; vt eum, quem tu; non quem vult S. Thomas, ſenſum præferant: ſoluens eum hoc argumentum: *aut Deus dat gratiam digno; aut indigno: ſi dat indigno; inſipiens & iniuſtus eſt; quod eſt impoſſibile. Ergo dat digno. ſed nullus eſt dignus habere aliquid, niſi qui hoc meruit; ergo quicunque accipit gratiam, prius meruit illam.* Soluens, inquam, hoc argumentum, ſic ait ſanctus Thomas: *Ad quartum reſpondendum, quod indignum poteſt ſumi dupliciter; vel negatiuè tantum.*

& ſic

Digitized by Google

& ſic dat gratiam indignis, &c. Quare tu priora hæc præteriiſti, cum ad S. Thomæ mentem & ſenſum plurimum faciant?

Secundò citas S. Thomam, quaſi loquatur de actionibus purè & merè naturalibus, cum ipſe loquatur de diſpoſitionibus ad gratiam perfectis & vltimis; quæ motibus fidei, ſpei, charitatis, pœnitentiæ, & timoris continentur: quibus, qui præditus eſt, eum dicit eſſe indignũ *negatiuè tantum; quia poſitiuè non habet voluntatem amplius reſiſtendi gratiæ*; nec tamen habet aliquid, *quo ſufficienter dignus efficiatur*; ita vt verè dici poſſit mereri gratiam: etſi habet *aliquam diſpoſitionem ad recipiendum; ex quo dicuntur*, inquit S. Thomas, *quodammodo ex congruo mereri gratiam.* Nota Prædicans; non dicit S. Thomas, *mereri ex congruo*, ſed *quodammodo* mereri ex congruo. Cur iſtud *quodammodo* non itidem curaſti in tuo Labyrintho maiuſculis excudi; ſicut voculas *diſpoſitionem; & ex congruo gratiam mereri?* Cur non attendiſti, de quibus diſpoſitionibus & actionibus S. Thomæ ſit ſermo; nimirum, non de moraliter & naturaliter duntaxat bonis & remotis diſpoſitionibus, quæ conſiſtere poſſunt cum voluntate gratiæ ſanctificanti adhuc reſiſtente, quibus poſitis neceſſariò non datur gratia; ſed de perfectis & vltimis, quæ excludunt omnem voluntatem gratiæ reſiſtendi, quibuſque poſitis neceſſariò datur gratia; quæ vel effectiuè ſunt ab ipſo habitu gratiæ ſanctificantis, vel certè ab actuali auxilio Dei, ita vt intrinſecè & eſſentialiter ſint ſupernaturales.

Cur non attendiſti ad verba, quæ proximè ſubiungit S. Thomas; cum argumentum quintum diluit? ad hæc inquam verba: *Gratia excedit omnem proportionem naturæ, vnde actus naturales non poſſunt merita reſpectu gratiæ dici: ſed diſpoſitiones remotæ tantum.* En quid S. Thomas de actibus naturaliter duntaxat bonis ſentiat; cur animum ad hęc non aduertiſti? Quia mendaciis, calumniis, imperitiis, inſcitiis & vanitatibus, teque tuumque Labyrinthum *implicare; confundere & iugulare* ſtudes. Nec abſolutè etiam dixit S. Thomas has diſpoſitiones perfectas mereri *de congruo* gratiam, ſed addit; *dicuntur quodammodo ex congruo gratiam mereri*: quia S. Thomas nullum penitus meritum, ne de congruo quidem, propriè loquendo de hoc merito, agnoſcit reſpectu primæ iuſtificationis; quod cum aliunde tum èx 1.2.q.114.a.7. manifeſtum euadit; vbi ſimpliciter negat reparationem poſt lapſum cadere ſub vllum meritum ſiue de condigno, ſiue de congruo.

Bellar. lib 5. de iuſtif. cap. 21. Pari fide Illuſtriſſimum Cardinalem Bellarminum tractas: nam quando ita ſcribit: *Poteſt homo nondum reconciliatus per opera pœnitentiæ im-*

tiæ impetrare & mereri ex congruo gratiam iuſtificationis; non loquitur vllo modo de operibus naturaliter & moraliter duntaxat bonis; ſed de operibus & actionibus, quæ ex fide & gratia præueniente proficiſcuntur; & has ait eſſe meritorias *de congruo* primæ gratiæ; quæ eius ſententia euidentiſſimè patet ex lib.1.de Iuſtific. cap.21. vbi etiam contra imperitiam & impudentiam tui Kemnitii diſertis verbis negat, opera ex ſolis naturæ & liberi arbitrii viribus facta; eſſe de congruo meritoria primæ gratiæ. Cur tu igitur Prædicans, aut ex improbitate aut ex craſſa ignorantia Bellarmino imponis, quod Bellarminus non ſcripſit? Nec aliter loquitur aut ſentit Cochlæus. Nec aliter Ioannes à Dauentria; quibus tu tamen tuam malam mentem per ſummã mentiendi libidinem affingis.

Cochl. in diſcuſ. art. 20 cõfeſ. Auguſt. Ioan. à Dauẽt. refut. 6. art. cõfeſ. Auguſt. Theſ. 131.

Sextò reſpondebit D. Piſtorius, te S. Thomæ obiicere indoctè illud Apoſtoli: *quidquid non eſt ex fide; peccatum eſt*: quia S. Thomas nunquam adſcribit primam gratiam operibus; quæ fidem antecedũt, tanquam meritis de congruo, vt iam oſtenſum. Illud etiam addet, te non intelligere dictum illud Apoſtoli; non enim ſenſus eſt; omne illud eſſe peccatum: quod ex fide nõ proficiſcitur; ſed omne illud, quod non eſt ex fide, hoc eſt, ex conſcientia, ita vt ſit contra conſcientiam. Quare non eſt neceſſe, vt quidquid agit infidelis, illud nihil aliud ſit, quàm peccatum; cum non ſit neceſſe; vt quidquid à fide alienus agit; id contra conſcientiam agat.

Septimò, reſpondebit Piſtorius, te ſolenne tuum tenere, hoc eſt, fraudulentum ſycophantam eſſe, cum ad verba Gabrielis hanc notam apponis. *Nota, opera non renatorum merentur gratiam iuſtificationis, ô cæcitatem.* Nam Gabriel non loquitur tantum de non renatis, hoc eſt, non baptizatis; ſed tam de his; quam de Baptiſmatis fonte ablutis, charitate tamen non præditis. Secundò, cur tu abſolutè ſcribis, opera non renatorum ex ſententia Gabrielis, mereri gratiam iuſtificationis; cum hoc abſolutè etiam ex ſententia Gabrielis falſum ſit; nam meritum abſolutè poſitum, ſumitur pro merito de condigno. Itaque Doctores iſti vbique addunt voculam *de congruo*; cur tu eam præteris: niſi quia impoſturarum Labyrinthum ſtruis? Multum intereſt inter meritum ſimpliciter poſitum; & inter meritum cum hac reſtrictione, *de congruo*: ſicut multum intereſt inter hominem ſimpliciter poſitum; & inter hominem pictum; quia ille verus homo eſt, & re & nomine; hic tantum nomine & imitatione quadam. Eandem fraudem committis, cum Bruliferum; Durandum; Eckium & alios adducis:

Theſ. 133.

K

cis:non enim loquuntur tantùm de non renatis, ſed tam de his, quàm de renatis, rurſus tamen in peccatorum ſordes delapſis.

Octauò,reſpondebit Piſtorius, te falsò citare Gabrielem : nam in 4.ſent.d.16.q.2.propoſ.4.nihil penitus eius reperitur, quod tu Gabrieli tribuis:nec in concluſione quinta. Ergo dum ais Gabrielem loco à te citato *papiZare*;libuit tibi more tuo *cretiZare*:nec mirum; quãdoquidem Creticum Labyrinthum condis.

Nonò,reſpondebit Piſtorius,te verba S.Bonauenturæ,q̃ Theſi 137.recitas,aut non intellexiſſe;quod eſt imperitorum, quorum, vt de Hermogene dicebat Tertullianus,Hunnius *extrema linea eſt*:aut ſi intellexiſti;peruertiſſe; eo enim loco non agit S. Bonauentura de actionibus non renati & peccatoris;ſed de operibus hominis iuſti:eaque,vt & S.Thomas,conſiderat dupliciter:Primò,vt ſunt à gratia, & ſic dicit eſſe meritoria de condigno:ſecundò,vt præcisè ſunt à libero arbitrio; & hac ratione eſſe meritoria de congruo.

Mag. 2. d. 41. Decimò,reſpondebit Piſtorius,te mentiri, cum ais; Magiſtrum ſententiarũ exiſtimare, omnia opera infidelium eſſe peccata: non ita ſentit,ſed in vtranq; partem diſputat, allatis auctoritatibus cum ſacræ ſcripturæ; tum S.Auguſtini pro parte affirmante & negante. An qui in vtranq; tantummodo partem diſputat, hoc præcisè faciendo alteram determinat & amplectitur?

Vndecimò,reſpondebit Piſtorius:te iterũ mentiri,cũ ais; Magiſtrũ contradicere S.Bonauenturæ aſſerenti peccatorẽ poſſe facere bona opera extra gratiã;quia Magiſter hoc nõ negat; & vt negaret;id tamen tantũmodo de infidelibus;hoc eſt,de illis,q vera fide carẽt; intelligeret:nõ autẽ de fidelib. gratia Dei & charitate, ob mortifera ſcelera deſtitutis. Nemo .n. ſcholaſticorum Doctorũ ſententiam hanc de infidelib. extẽdit ad peccatores fide Chriſtiana p̃ditos. Quocirca minimè negaret Magiſter totã S.Bonauẽturæ aſſertionẽ, licet de infidelib' id ſentiret; impulſus potiſſimum quibuſdam S.Auguſtini teſtimoniis; quę tamen ab aliis auctoribus rectiſſimè in cõmodum & ſanũ ſenſum accipiuntur & explicãtur,nominatim à Bellarm.& Gregor.de Valẽtia.

Bellar. lib. 5. de gratia & lib. arbitr. cap. 11. Greg. de Valent. tom. 2. d. 8 q. 1. p. 3. & tom. 4 d. 1. q. 10 p. 2. Duodecimo,reſpõdebit Piſtorius Hunniũ his & id genus aliis,quæ breuitatis cauſa p̃tereuntur,fraudibus & impoſturis effeciſſe;vt dign' ſit,cui in *omnẽ æternitatem* nulla habeatur fides : hanc .n. mulctam ipſe ſibi impoſuit,quam vt perſoluat; diligenter enitemur, ſtudioſè omnẽ fidem denegando homini tam petulanter, procaciter & inſulsè mentienti,ſeq; ipſum technis ; impoſturis;calumniis, & ſexcentis inſcitiis implicanti,confundenti,iugulanti.

Sed

Sed pergit in ſuo Labyrintho: *Hoc dogma aut probat aut improbat Piſtorius.* De quo dogmate loqueris? opinio, non eſt dogma; nam dogma quid certum, & quod fide definitum ſit; inſinuat. Deinde nõ vna eſt omniũ eorũ, quos citaſti, opinio, vt demonſtratũ eſt; licet tu ꝓ tuo Labyrintho, omnia cõfundas & miſceas; vt res diſputationis tuæ nomini cõueniat. Minimũ.n.in tres ſentẽtias ſalua fide & charitate diuiſi ſunt Doctores; quos adducis; potius ergo ita quærendũ eſt: *aut opiniones illas ꝓbat Piſtorius aut imꝓbat.* Reſpõdeo, ſiue ꝓbet, ſiue imꝓbet; nõ ſequi, ꝙ tu colligis; nempe nos nõ iuſtificari ſolo merito Chriſti; ꝙ ex ſententia S. Thomæ clarũ; ꝗ nullum meritũ, etiam *de congruo* ante iuſtificationẽ agnoſcit. Idẽ liquet ex ſentẽtia Bellarmini ꝗ operibus ante iuſtificationẽ ex fide & gratia pueniente ꝑfectis, tribuit meritũ de cõgruo: ꝗa vt de congruo mereantur, id nõ habent; niſi ex paſſione & merito Chriſti Domini. Idẽ liquet ex ſententia illorũ; ꝗ meritũ de congruo ponũt in actionib. bonis ex ſolis naturæ virib. ſine vllo ſpeciali Dei cõcurſu elicitis. Dicere.n. poſſent Doctores illi; ad omne meritũ apud Deũ reꝗri acceptationẽ; vt nominatim docet Gabriel 2. d.27.q. vnica, notab.2. hoc autem ꝙ opera moraliter duntaxat bona acceptentur à Deo ad meritũ *de congruo*, prouenire ex beneficio meriti & paſſionis Domini: quocirca nos etiã ſolo merito paſſionis Domini iuſtificari; cum omnis ſimpliciter meriti fundamentũ ſit & radix.

Ais: *Si reſpondeat Piſtorius ſe hoc dogma ſcholaſticorum non probare, nonne conſcientia eius clamat, periculoſiſſimũ errorẽ circa fundamentũ ipſum ſalutis fuiſſe publicè frequentatum ſub regno* Pontificio? Nihil minus; nam ſi ex meo animo de D. Piſtorii animo coniecturã facere licet; ego etſi hanc vltimã ſententiam de actionib. moraliter duntaxat bonis, ex ſolo libero arbitrio, cũ ſolo cõcurſu generali elicitis, nõ probo; non tamen periculoſiſſimũ, & multò minus hæreticũ errorem fuiſſe cenſeo; quãdoquidẽ Eccleſia nihil definiente & ſtatuente, liberũ eſt in hanc vel illam partẽ, ſaluo cõcordiæ vinculo, diſceptare. Qua libertate freti olim ſcholaſtici Doctores, hanc opinionẽ amplexi ſunt, ſine vllo aut ꝓpriæ aut alienæ ſalutis diſcrimine; ꝗ tamẽ hodie poſt Conciliũ Tridentinũ initiũ iuſtificationis à gratia pueniente duci definiens, minus ſecura à plериſq; iudicatur; ꝙ te Cardinalis Bellar. docere poſſet, ſi docilis eſſes.

Subdit Hunnius: *Romani Põtifices non modo non dãnarunt pugnatores huius ſententiæ; verũ etiã defenſores huius impietatis inter Diuos collocarũt, Thomã quidẽ Ioannes XXII. Bonauẽturã Sixtus IV.* S. Thomas nõ fuit defenſor huius ſententiæ, vt ſupra dictum; cur denuò mentiris? An non

ſat mendaciorum in S. Thomam paulo ante euomuiſti ? Pone tandem vanitati tuæ modum. Vt S. Bonauentura huius ſententiæ defenſor fuerit ; impietatis tamen defenſor non fuit; veritate necdum *eliquatiſsima perſpectione diſcuſſa*, vt loquitur S. Auguſtinus ; ſicut nec S. Cyprianus & collegæ eius ; inter quos plurimi ſanctitate eximia conſpicui erant, impietatis patrocinium ſuſceperunt; quando baptizatos ab hæreticis, rebaptizandos eſſe contendebant; quia cōtrarium nullo ſiue *plenario*, ſiue ſaltem *regionali* Concilio, vt loquitur S. Auguſtinus, liquidò decretum erat Et ſicut ſententia iſta nihil offecit S. Cypriano, quo minus inter diuos ſanctoſque martyres reciperetur ; tametſi, poſtea id, quod S. Cyprianus ſentit, *Catholicus orbis terrarum robuſtiſsima firmitate conſenſionis excluſit*, *vt quod per diſputationes eiuſmodi in aliquorum mentes irrepere cœperat; de ſalute veniens vnitatis potentior veritas & vniuerſalis medicina ſanaret*: ita etiam ſanctitati D. Bonauenturæ nihil omninò obſtitit ſententia illa de actibus à ſolo libero arbitrio profectis, quia eam, ſalua pace & vnitate, & ſub cenſura Eccleſiæ, vt & alii Doctores, defendit.

S. Auguſt. lib. 3. de Baptiſ. c. 1.

S. Auguſt. loc. cit.

Nihil igitur aliud, quàm bullæ & ampullæ ſunt tua illa verba : *Si Romanæ Eccleſiæ iudicio ſe ſubmiſerunt, vbi fecit ea Eccleſia ſuum officiū, vt errorem adeò turpem, & animabus hominum extremè exitioſum damnaret? In quo Concilio? quo decreto? canone? bulla? qua vel minima ſignificatione?* Nego inprimis fuiſſe errorem animabus hominum *extremè pernicioſum*. Nullus enim error, qui ſalua charitate, debitaque ſubmiſſione & animo Sedis Apoſtolicæ iudicio ſtare parato defenditur, tunc cum Eccleſia liquidò nondum definiuit, quid ſentiendum ſit, perniciem animabus creat; (loquor autem de errore circa rem, cuius cognitio non eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medii) quia non eſt error hæreticus, non pertinax, non ſupra, ſed ſemper infra iudicium Eccleſiæ ; qualis error etiam erat ille beati Cypriani; qui neque turpis erat, quia in rebus tam obſcuris Eccleſia per decretum aliquod facem non præferente; labi humanum eſt & humanæ imbecillitatis teſtimonium. Eleganter S. Auguſtinus: *Etiam hoc Catholicæ mentis eſt, ſi qua fortè aliter ſapit, quàm veritas exigit, non ea certiſsimè definire, ſed detecta ac demonſtrata reſpuere. Non enim hæreticis, ſed Catholicis Apoſtolus loquebatur, vbi ait: Quotquot ergo perfecti, hoc ſapiamus, & ſi quid aliter ſapitis, id quoque Deus vobis reuelabit.* Tui errores, Hunni, turpes ſunt; & animabus extremè pernicioſi; quia claræ & cognitæ veritati repugnant, ipſique ſoli tenebras inducere tentant. At quia quæris ; *In quo Concilio, in*

S. Auguſt. lib. 2 contra duas epiſt. Pelag. ca. 3.

quo.

Digitized by Google

quo decreto, canone, bulla, qua vel minima ſignificatione ſententia iſta reiecta ſit, lege Concilij Tridentini ſeſſ. 6. cap. 5. & 6. & canonem 1. 2. & 3. vbi non obſcurè ſententiam hanc reiici videbis, ſi quid tu tamen videre potes: qui ad veritatem talpa es; ad mendacia autem colligenda *caprearum oculos poßides.*

Syllogiſmus, quem D. Piſtorio tanquã inſolubilem proponis, ficulneus eſt, imò ſtramineus, & dignus ventoſa vanitate Hunnij. *Velim,* inquis, *ad ſequens argumentum mihi reſpondeat Piſtorius.* Mi homo, nihil opus reſpõdente Piſtorio; doctiſſimo viro, nugacitatẽ & inſcientiam tui ſyllogiſmi diſiicere nullius artis fuerit, adhibito vnico vocabulo. Sic argumentaris. *Si quis docet, voluntatem humanã poſſe ex ſuis naturalibus diligere Deũ perfectè & ſuper omnia: is cõcedat oportet, quod & proximũ perfectè poßit diligere, atq; ſic ex ſuis naturalib. implere legẽ, & cõſequenter etiã ſine gratia iuſtificari ex mera libertate arbitrij. At prius docent Gabriel Biel, & Sorboniſtæ Pariſienſes. Ergo reipſa ſtatuunt, hominẽ etiam ſine gratia iuſtificari ex mera libertate arbitrij.* Reſpondeo ad maiorẽ cum omnibus ſuis ſequelis & appendicibus ſumptã: eam eſſe verã, ſi intelligatur de eo, qui docet, Deum, ex viribus naturalib⁹ perfectè & ſuper omnia, ſupernaturaliter, & vt finem ſupernaturalem diligi poſſe: falſam autẽ, ſi intelligatur de eo, qui docet Deũ ex viribus naturalibus diligi poſſe naturaliter, & vt finem naturalẽ. Etſi n. verũ eſt, ꝙ qui Deũ naturaliter ſuꝑ omnia ex ſuis viribus poteſt diligere; poſſit etiam proximũ naturaliter diligere ex ſuis viribus; & ſic totam legem naturalẽ implere: non tamen verum eſt; ꝙ qui hoc poteſt, (ſi quis hoc poteſt) poſſit ſine gratia iuſtificari ex ſola libertate arbitrij. Iam ad minorem. Sed prius illud docent Gabriel & Sorboniſtę Pariſienſes. Reſpondeo iterum per diſtinctionem: ſed prius illud docent Gabriel & Pariſienſes: nempe, hominem ex ſuis naturalibus poſſe ſupernaturaliter Deum perfectè & ſuper omnia diligere: falſa eſt minor: ſed prius illud docent Gabriel & Pariſienſes, nimirum, hominem ex ſuis naturalibus poſſe naturaliter Deum perfectè & ſuper omnia diligere: Eſto minor: ſic enim aliqui Theologi, etſi non rectè, opinati ſunt. Ergo reipſa ſtatuunt hominem etiam ſine gratia iuſtificari ex mera libertate arbitrij. Nego conſequentiam. Theſ. 154.

Probas Minorem ex verbis Gabrielis. *Viatoris voluntas humana ex ſuis naturalibus poteſt diligere Deum ſuper omnia. Probatio. Omni dictamini rectæ rationis poteſt ſe voluntas ex ſuis naturalibus conformare. Sed diligere Deum ſuper omnia eſt dictamen rectæ rationis; Ergo illi ſe poteſt voluntas*

Digitized by Google

Ais: *Catharinum ſcriptis Romæ editis idem docuiſſe.* Sed cautè cauiſti tibi,nullum Catharini librum citando, ne ad mendacij tui cubilia penetraremus. Sine dubio enim nihil aliud docuit, quam quod S.Thomas, & alij Doctores docuerunt: & tu erga Catharinum idem es, qui erga S. Thomam,hoc eſt, calumniator & ſycophanta, dignus cui in *omnem æternitatem* nulla fides habeatur.

CAPVT V.
De operum meritis.

NVnc meritum de condigno aggrederis; tam fideliter, *Theſ.163.& ſeq.* vt de condigno merearis, ne vlla tibi in omnem *ſempiternitatem* fides commodetur. Dicis,S.Thomam tradere nos vitam æternam de condigno mereri poſſe. Idem doceri à Franciſco Mairone, Gabriele,Nicolao de Orbellis, & Concilio Tridentino. Scilicet te monitore opus erat; antea hæc horũ & Concilij doctrina omnibus ignota fuit. Nemo S. Thomã legebat; nemo in ſcholis interpretabatur. Quantum tibi debemus Hunni; qui dum Labyrinthũ ædificas, tã abdita myſteria in lucẽ producis. Verũ vt Pontificios omni elabẽdi rima obſtructa capias; oſtendis, *condignitatem illam,* nõ niti ſola ꝓmiſſione,obligatione,& gratuita acceptatione Dei,ſed etiã operũ ipſorũ pręſtantia quadã & excellentia ex charitatis virtute deriuata;&ad hoc probandũ teſtes laudas S.Thomam,S.Bonauenturam,Gulielmum Altiſiodorenſem,& alios. Quid probare niteris, quod vltrò fatemur, quod palam priuatimque docemus? cur nugiuenda gerras vendis, quaſi aliquid dicas, cum nihil penitus, niſi fucum dicas? Nam quod illud argumentum S. Thomæ exagitas; *ſicut ſe habet culpa ad pœnam, ita opus virtutis ad præmium; ſed* *S.Thom.2.d.* *culpa ex condigno meretur pœnam æternam. Ergo actus virtutis ex con-* *27.q.3.* *digno meretur vitam æternam:* id facis, vt pruriginem calumniandi & mentiendi ridendo paululum oblectes; Etſi hic etiam tuam fidem prodis,cum argumentum ſancti Thomæ tuis, non ſui auctoris verbis ponis. Quid verò contra habes nugator,præter inanẽ riſum & ſannas hæreticas,ſarcaſmoſq; Hunnianos, ſcurriles & Lucianicos, dũ Bona-

uenturam

uenturam ais *blaſphemare, Thomam ineptire; omnes ſcholaſticos vnanimiter inſanire, Altiſiodorẽſem eructare*; ita dum ſingulis ſingula tribuis, omnia in te concurrunt; nam & blaſphemas, & ineptis, & inſanis: & non modò eructas, ſed & euomis ſine more & modo mendacia & conuicia.

Accuſas Altiſiodorenſem, quod ſcripſit, ſeruitia, quæ exhibemus Deo, vitæ æternæ promerendæ gratia, eſſe indebita. *Quis Papa*, inquit Hunnius, *damnauit hæc omnia?* Nullus; quia non ſunt impia; vt tu impiè ſentis: Etſi enim titulo creationis debemus Deo omnia; ipſe tamen ex ſua liberaliſſima voluntate, hæc ipſa noſtra opera, alio titulo ſibi debita, compenſare vult tanquam indebita; non aliter ac ſi ſibi non deberentur. Et huc reſpexit Altiſiodorenſis; quem tu damnatum percupis, vt in tua damnatione de tali ſocio gloriari poſſis. Nec eſt, quod multum te fatiges, vt oſtendas, doctrinam S. Thomæ de merito condigni à pontificibus damnatam non fuiſſe. Fatemur nec damnatam eſſe, nec damnatum iri; quia veritas diuinitus patefacta, nunquam condemnabitur.

Communi ſcholaſticorum doctrinæ non repugnat Antonius Marinarius Carmelita in oratione ad patres Concilij Tridentini, cum ait; *Gratis per Chriſtum nobis remiſſa eſſe peccata.* Quis ſcholaſticorũ Theologorum non fatetur pleno ore, nos gratis per Chriſtũ iuſtificari? Etiã illi, qui actibus à ſolo libero arbitrio profectis meritum *de congruo* tribuunt, hoc non inficiantur; gratis enim aiunt nos iuſtificari; quia ex nulla obligatione iuſtitiæ Deus primã gratiam confert: ſicut & inops gratis accipit eleemoſynam; licet preces adhibuerit: quia nihil ei debetur ex iuſtitia.

Caſſandrum, quem ſummis laudibus euehis, nihil moramur; quia Spiritu Eraſmi exagitatus, non ad ſobrietatem ſed ſupra ſapere voluit; & ideo deſipuit. Ais: *Caſſandrum eſſe Theologum ſummæ auctoritatis inter Pontificios*: Veſtro videlicet iudicio, non noſtro. Tantũ enim abeſt, vt ei ſummum tribuamus locum; vt vix admittamus ad ima ſubſellia. Nam quod laudatiſſimorum Imperatorũ Ferdinandi & Maximiliani ſecundi de religione ad eum ſcriptæ exſtant epiſtolæ; id forte ad Caſſandri gloriã aliquid faceret; ſi aliquid tantis Imperatoribus dignum reſcripſiſſet. Nunc cum eam rationem partium diſſidentium conciliandarum præſcripſerit; quam qui ſequatur, meritò nec Catholicus; nec Lutheranus; nec Caluinianus; ſed informe quoddam monſtrum ex his omnibus conflatũ cenſeri poſſit: iure Caſſandrũ cum ſua conſultatione valere iubemus: prædicanteſq; ridemus, quoties Caſſandri aucto-

Digitized by Google

auctoritate nos aggrediuntur, quaſi deliramenta ſemicatholicorum, oporteat eſſe alicuius apud nos momenti.

Ad locũ de meritis, quem cũ Caſſandro ex Adriano adfers, reſpondebo; cum omnia ea notaueris, quæ; vt tam tibi, quàm Caſſandro fides adhibeatur, non immeritò poſtulantur. Nam quod Adrianus meritum de condigno inter Deum & hominem agnoſcat & admittat intelliges ex Quodlibeto eius octauo. Caſpar Contarenus loquitur de actionibus noſtris iuſtis, vt conſiderantur abſq; liberali acceptatione, promiſſione & obligatione, qua Deus ſe nobis obſtruxit: qua ratione vtique non ſunt meritoriæ de condigno vitæ æternæ, ita vt ex iuſtitia compenſari debeant. Verumenimuero prope fugiſſet me argutiſſima quæſtio quam Theſi 164. Prędicans Piſtorio ponit his verbis. *Cuperem hic à Piſtorio diſcere, ſi quis mille actus Charitatis edat, an totidem mereatur vitas æternas?* En acumen & ſubtilitatem. Paucis me à tam rudi quæſtione expediam. Omnibus illis actibus vnam meretur vitam æternam, non mille; quia vna duntaxat eſt; non mille: Et licet mille eſſent, nulla tamen tibi, ſi prædicans animam efflares, obueniret. Hanc tamē vnam vitam æternam plures actus exercendo, pluribus titulis facit ſibi debitam: Et quia vt Chriſtus ait, in domo cœleſtis patris manſiones multæ ſunt, hoc eſt, varij gradus gloriæ: ideo cæteris paribus, in ipſa vita æterna plus gloriæ adipiſcetur ille, qui mille, quàm qui tantum decem aut viginti actibus vitam æternam promeruit. Habes reſponſum ad ineptiam tui erotematis.

Porro dum Bellarminum contradictionis arguere ſtudes, teipſum imperito mendacio implicas. *Bellarminus*, inquis, *in iudicio ſuo de libro concordiæ ſcribit, Catholicos iſtis operibus, quæ fiunt ex fide & auxilio Dei, non tale tribuere meritum, vt ei reſpondeat ex iuſtitia merces, ſed meritum ſolum impetrationis, quod (inquit) ſcholaſtici meritum de congruo, non de condigno, ac ſi opus mercede dignum eſſet, nominare ſolent, hæc ibi.* Ita eſt. Quid tu hic? *In tomis planè contrarium aſſerit, nempe bona opera iuſtorum ex condigno mereri vitam æternam: idque docet à ſcholaſticis quoque eſſe traditum, & eſſe communem doctrinam Catholicorum.* Non aſſerit contrarium, vt tu inſulſiſſimè hallucinaris. Nam in prædicto libello loquitur de actionibus ex fide & gratia præueniente profectis ante iuſtificationem, de quibus etiam copioſius diſſerit tomo tertio libr. 1. de iuſtificatione cap. 21. vt ſupra oſtendimus, & cuiuis cognoſcere promptum eſt ex ipſa Bellarmini diſputatione. Quotieſcunque verò *Theſ. 198*

L dicit,

dicit, actiones noſtras eſſe meritorias vitæ æternæ de condigno, loquitur de actionibus hominis iam iuſtificati & in gratiam Dei recepti. Tibi igitur, non Bellarmino adiecisti in margine annotatiunculam illam, *mendacem oportet eſſe memorem*. Nam ſi memor fuiſſes, nunquam Bellarminum mendacij aut contradictionis arguiſſes, nō ſine ingenti tuo dedecore, qui cum talia de Bellarmino chartis illinis, aut impudenter mentiris, aut turpiſſimè hallucinaris, quorum vtrumq; quàm ſit probroſum Euangelico Prædicanti, quiuis videt, qui oculos ad videndum habet.

Bell. lib. 5. de iuſtif. cap. 15. Meritum principalius oriri à charitate quàm à fide, aut à reliquis virtutibus, communis eſt Theologorū doctrina, q̄ & Bellarminus ſequitur, refutata ſingulari quadā Guilielmi Altiſiodorenſis opinione, qui hoc potius fidei tribuendū cenſebat. Hanc orthodoxā doctrinam vocat Hunnius *Hæreſin*. Fortè eandem cenſurā apponet aliquando ad verba illa Apoſtoli. *1. Cor. 13.* *Et ſi habuero omnē fidem, ita vt montes transferā, charitatem autē non habuero, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperū omnes facultates meas, &c. charitatem autē non habuero, nihil mihi prodeſt.* Obiicit prædicans, *Piſtorium docere contrariū in libro qui* Wegweiſer *inſcribitur, fideique primas concedere in negocio iuſtificationis & meritorum.* Sed Hunnius à ſe non degenerat, manet conſtanter Hunnius, hoc eſt, vanus & fraudulentus Cretici Labyrinthi architectus. Nam D. Piſtorius nihil aliud dicit, quàm fidem eſſe fundamentū totius iuſtificationis & omnium bonorum, quæ ad hanc conſequuntur, quod nec Bellarminus, nec alij negant. At nō ſequitur: fides eſt primum fundamentum totius Iuſtificationis, ergo Iuſtificatio & meritū principalius pendent à fide quàm à charitate, quandoquidem vt fides iuſtificet & mereatur, non niſi à coniunctione cum charitate obtinet, ſine qua cætera nihil ſunt, vt diſertiſſimè Apoſtolus tradit. Nec omittendum, fundamenti nomine nō ſemper ſignificari id, quod potius eſt & dignius, ſed quod prius aut origine aut tempore: nam neque in ædificio digniſſima aut ad habitationem aptiſſima pars eſt fundamentum. En igitur iterum perpulchram criminationem Logodædali iſtius diſſonantiam inter Doctores noſtros ſomniantis, vbi ſumma concordia conſpirant.

Sed pertexat Hunnius telam ſuam, videbimus non quomodo Bellarminus, ſed Hunnius ſuis ſemet *mendaciis & impoſturis* conſtringat & implicet. Nam quod Bellarminus ait, opera bona iuſtorum meritoria eſſe ex condigno non ſolùm ratione pacti, ſed etiā ratione operum, id gloſſat gloſſator iſte: *Nota, ratione operum, id eſt, per ſe;* quaſi Bellarmi-

larminus dicat, vim illam merendi conuenire operibus *ex ſe*, & *per ſe*, quatenus præcisè noſtra opera ſunt, abſtrahendo etiam à gratia. Quæ non eſt mens Bellarmini, ſed fraus Hunnij, nam per illud; *ratione operum*, ſeu, ſi dicere velimus, per ſe, excludit tantum promiſſionem & acceptationem diuinam, non autem gratiam ſanctificantem, à qua niſi opera prodeant, nullo modo ratione ſui meritoria eſſe valent.

Tribuit Bellarminus operibus iſtis non modo vim merendi, ſed etiam ſatisfaciendi pro pœnis, temporalibus nimirum. Hoc refutat Hunnius aliquot argumentis. 1. *Quia hæc ſententia eſt craſſa & prorſus Antichriſtiana.* En validam confutationem. Verùm, ecce validiorem alteram. *Tam craßè profectò vix vllus Doctor in Sorbona Pariſiorum ſub mediis tenebris Papatus inſaniuit.* Quaſi vllus Catholicus Doctor extiterit, qui vim ſatisfactoriam operibus iuſtorum ademerit. Hæccine ſanum dicere & ſcribere non pudet? 3. *Officium Saluatoris Chriſti deteſtandum in modum conuellitur.* Quis dicit hoc? Hunnius. Ille nimirũ Prædicans, qui ipſe ſibi nullam vult haberi fidem in omnem æternitatem ſi mentiatur: at quoties iam auius à vero, ſciens & volens abiit? *Quomodo*, ait, *Chriſtus ſolus calcauit torcular iræ Dei? quomodo conſtabit ſermo Petri; non eſt in vllo alio ſalus, nec eſt datum aliud nomen ſub cœlo, in quo ſaluari nos oporteat, ſi ſancti ſuis operibus & paßionibus ipſimet perpulchrè tum vitam æternam mereri, tum pro peccatis poſſunt ſatisfacere.* Reſpondeo, ſolus calcauit, quia ſolus ex Iuſtitię rigore Deum inflexit, vt quantum in ſe eſt generi humano reconciliari, ſinguloſque re ipſa etiam in gratiã recipere velit, ſi debita media adhibeant, hoc eſt, fidẽ, baptiſma, charitatem, pœnitentiam, & id genus alia, ſine quibus fructus paſſionis Dominicæ nemini applicatur. Et quamuis iuſti mereantur vitam æternam de condigno, & ſatisfaciant quoq; pro pœnis, non tamen in ſuo, aut alterius hominis nomine, ſed in nomine Chriſti beatitudinem conſequuntur, *à quo omne datum optimum, donumque perfectum* habent; abſq; Chriſto enim ſi fuiſſet, neque quidquam mereri, nec pro pœnis ſatisfacere poſſent. Theſ. 121. & ſeq.

Quomodo, inquis, *totum opus ſalutis, purgationem videlicet peccatorum, perfecit Chriſtus per ſemetipſum? quomodo chirographum affixum cruci deleuit, & victoriam atq; triumphum comparauit nobis per ſemetipſum, vt ſcriptura docet; ſi demum per nos, per noſtra opera, per noſtras afflictiones talia operatur?* Facilè hoc eſt intelligere, per ſemetipſum enim crucifixus & mortuus eſt, non per alium, per ſemetipſum effecit, vt offenſa Dei à nobis tolleretur: Sed ita, vt nos itidem, quæ officium noſtrũ re-

quirit, non negligamus. Per proprium ſanguinem Chirographũ peccati, quod aduerſus nos erat, deleuit, non per ſanguinem alienum, nam *per proprium ſanguinem ſemel introiuit in ſancta ſanctorum, æterna redemptione inuenta.* Sed chirographi huius deletio nõ conſiſtit in hoc, vt nos iam in vtramque aurem ſtertamus, non enim ſic meruit nobis Chriſtus remiſſionem peccatorum & chirographi contra nos ſcripti deletionem, ſed vt adhibeamus quoque ea, per quæ, tanquam per canales, fructus redemptionis ad nos deriuatur.

Theſ. 113. Notoria contradictio, quam hic Bellarmino affingis, notoria eſt ex tua officina calumnia. Veriſſimum enim eſt Chriſtum pleniſſimè pro reatu culpæ & pœnæ ſatisfeciſſe, quod affirmat Bellarminus lib. 2. de Indulg. cap. 10. Et ſimul etiam veriſſimũ eſt, latronem in cruce per pœnitentiam & contritionẽ internam iuſtificatum eſſe, & fortè tantã habuiſſe contritionẽ, quæ non modò tollendæ culpæ, ſed & omni pœnæ abolendæ ſuffecerit. Addit autem Bellarminus; *fortaſſe*, quia penitus exploratum non eſt, vtrũ vi ſolius contritionis, qua eſt iuſtificatus, omnis ſimul pœna ſit remiſſa, an vi aliorum actuum iuſtificationem latronis ſubſecutorũ, quandoquidem poſt conuerſionẽ in cruce aliquandiu ſuperuixit; & proculdubio ab actibus amoris in Chriſtũ, dolorisq; de offenſa Dei, ob præterita vitæ ſcelera, ad extremum vſque ſpiritum, nunquam deſtitit, quibus Deo pro pœna ſatisfacere & gloriam de condigno mereri & augere potuit: an verò, ſi quid adhuc pœnæ perſoluendæ ſuperfuit, id Chriſtus Dominus per applicationem ſuarum ſatisfactionum latroni condonarit, eo modo, quo per indulgentias, hoc eſt, per applicationes ſatisfactionum Chriſti & ſanctorum, fidelibus ſolet pœna temporalis pro peccatis debita relaxari. Vbi eſt ergo illa commentitia contradictio, quam tanto verborum ſono iactas?

Dices, non eſſe pleniſſimam ſatisfactionem pro culpa & pœna; ſi aut latro ſatisfecit in cruce, aut quicunque alius debeat etiam pro malè commiſſis ſatisfacere. Sed more tuo dices tantum, non autem probabis. Nam plenitudo huius ſatisfactionis conſiſtit in hoc, quod Chriſtus iſtud à Deo nobis obtinuit, vt quoties ſatisfactionem noſtram cum Chriſti ſatisfactione iungimus, temporalem pœnam Deus nobis remittat: neque enim abſolutè, & ſine vllo reſpectu ad ſatisfactionem noſtram, acceptauit Deus ſatisfactionem Chriſti. Verùm Hunnius, & alij Prędicantes mente concipiunt ſatisfactionem quandam nullum prorſus reſpectũ ad ſatisfactiones noſtras habentẽ, eamque

Digitized by Google

quæ ſolam pleniſſimam appellant, qualem non didicerunt in diuinis literis, ſed in Lutheri miſerandis chartis.

CAPVT VI.

De vita Monaſtica.

HIs abſolutis, noua ornamenta (mendacia & conuicia dictum oportuit) parat noſter Dædalus inchoato ſuo Labyrintho, eaque vbertim promit, ſed vnde? Audi ipſum. *Examinanda paucis reſtat vita Monaſtica;* hoc eſt, monachorum inſtitutum non paucis criminationibus & commentis exagitandum eſt, quaſi monachis maledicta dicere ſit reconditæ artis, quam factitare quiuis de triuio ſcurra non poſſit. Ordine numeremus mendacia & conuicia, quæ theſibus non multis plurima fundit. Mentitur ergo primò cùm ait, *in doctrina monaſtica tribui iuſtificationem & ſalutem non iam à Deo mandatis, ſed cultibus electitiis.* Falſum: quia prima iuſtificatio & prima ſalus adſcribitur, tanquam diſpoſitionibus, actibus fidei, ſpei, charitatis, pœnitentiæ, non monaſticæ obſeruantiæ & profeſſioni: Secunda autem iuſtificatio & ſalus adſcribitur tam illis operibus, quæ à Deo mandantur, quàm illis, quæ à Deo conſuluntur. Secundò mentitur, cum ait: Religioſam profeſſionem ſitam eſſe *in adinuentionibus & operibus humanitus inuentis.* Conſiſtit enim eſſentia religionis in votis paupertatis, caſtitatis & obedientiæ, quorum obſeruatio nõ eſt ab homine inſtituta, ſed à Deo, etſi ſuadendo, non præcipiendo. Tertio mentitur, cum ait: *Opera profeſſionis monaſticæ perſpicuè damnari voce Eſaiæ & Chriſti.* ſed vbi? Fortè ſcribere volebat, voce Lutheri & Corui. Quartò mentitur, cum ait; *Iſta opera prælata fuiſſe operibus ab ipſomet omnipotente* Deo *in ſcriptura præceptis.* Non ſunt prælata, ſed vtraque ſimul obſeruata, quia illa oportet facere, ſi vouiſti, & hæc non omittere. Quintò mentitur, cum ait: *Monaſticen æquiparatam fuiſſe Baptiſmo.* Non quoad omnia, vt tu fingis, ſed quoad remiſſionem pœnæ temporalis debitæ pro peccatis: hanc enim per religionis ingreſſum totam relaxari grauiſſimi ſcriptores tradiderunt, vt copiosè demonſtrat Hieronymus Platus. 6. men-

Theſ. 121.

Plat. lib. 1. de bono ſtatus relig. cap. 13.

mentitur, cum ait: *Monachos tam purgari per ingreſſum religionis, quàm infans recens è baptiſmi fonte prodiens à peccatis ſuis ſit lotus*: calumniaris, ſed apud tuos. Vbi omnia tibi impunè licent. Infans purgatur à culpa & pœna, is qui ingreditur religionem à pœna duntaxat temporali, non à culpa mortalium: & hoc tantum vult, qui illo modo loquẽdi vtitur, non autem quod tu fraudulenter innuis: & tamen infra totidem fermè verbis hoc mendacium repetis, ne ſimplex duntaxat mendacium eſſet.

Septimo mentitur, cum ait: *Opera Monaſtices ideo dicta eſſe ſupererogationis, quod monachi putarent, non ſibi duntaxat ad conſequendam cœleſtem beatitudinem ſufficere, ſed aliis etiam, nempe ſuis benefactoribus, communicari poſſe, confectis ſuper ea re literis atq; diplomatis*. Mendacium eſt hoc, quia appellantur opera ſupererogationis; eò quod liberè à quouis ſuſcipiantur, & præceptis quodammodo ſuperaddantur. Poteſt autem non tantum horum operum, ſed omnium aliorum fructus, per communicationẽ ad alios deriuari. idq; nõ ſimplici dũtaxat ꝓmiſſione, ſed & inſtrumẽtis ſuper ea re cõfectis. Octauò mentitur, cũ ait: *Eò ꝓceſſiſſe amentiam monachorũ, vt perſuaderent mundo, ſi quis moriturus ſepeliretur in cuculla Franciſcana, eum à Satanæ poteſtate planè tutum eſſe*. Licet enim aliqui, etiã Principes viri, habitu Franciſcano, ex pietatis quodam affectu ſepeliri voluerint, minimè tamen in eo ſpem ſalutis collocârunt; aut ſe ob hanc ſolum veſtem à Dæmonis poteſtate liberos fore crediderunt; ſed hoc externo ritu internam animi ſubmiſſionem & deuotionem erga Deum teſtari etiam voluerunt. Etſi minimè dubito eos hac veſte indutos longè tutiores à Sathanæ poteſtate fuiſſe, quam ſi induiſſent togam aut ſagum Prædicantis. Scurrile ſcomma Eraſmi de pediculis in eiuſmodi *cucullis nidulantibus*, ſcurris, hoc eſt, Eraſmo, & tibi relinquimus. Nonò mentitur, cum ait: *In monachis comprobatum eſſe vaticinium ſeruatoris de Pſeudochriſtis, Matth. 24. hos enim pro Chriſto, inuolando eius officium, ſeſe venditaſſe*. Vis ſcire qui ſint illi Pſeudochriſti? Tu & tui ſimiles hæretici.

De libello, cui titulus: *Floſculi ſancti Franciſci*, iam dudum reſpondit Præceptori tuo Herbrando Gregorius de Valentia. Et quia tu hãc calumniam, vt & alias pleraſque ab Herbrando accepiſti, audi quid tibi olim in Herbrando reſponderit Gregorius de Valentia. Poſtquam enim Herbrandus, idem narraſſet, quod tu hic narras, nempe *Franciſcum quinque vulnerum ſtigmatibus impreſſis ſibi ab Angelo, ſeruare poſſe à morte æterna viros, qui ab ipſius tempore vixerunt, & viuent vſq; ad*

Greg. de Valent. lib. 5. de Idolol. cap. 14.

Digitized by Google

nouiſsimum diem: & diuam Mariã virginẽ matrem Domini, merito ſuæ virginitatis ſeruaſſe mulieres, quæ vixerunt vſq; ad tempora S. Claræ, quæ etiam ipſa merito ſuæ virginitatis in ſuo ipſius corpore renouatæ, ſeruet eas, quæ porrò vſq; ad finem mundi victuræ ſint, &c. Subiecit Valentian⁹. Si quidquam Herbrande narratione hac tua mouere nos vis, docendum tibi eſt primò, hanc eſſe ab Eccleſia Romana approbatam, receptamque ſententiam: Franciſcum & Claram, tanquam ſaluatores & redemptores prodeſſe viris ac mulieribus poſt illorum ſæculum degentibus, &c. Deinde, auctorem etiam, & auctoritatem libri Italici, qui eum errorem contineat, indicare te oportet, vt intelligatur, an talis ſit, vt meritò poſſis id commentum Catholicis tanquam Eccleſiæ doctrinam adſcribere. Ais, *refutationẽ huius libelli à pio quodam viro editam, in catalogum hæreticorum librorum relatam eſſe;* Nimirum pius iſte tuus vir, eſt impius ille apoſtata Vergerius, eum enim nominat Herbrandus. Sed quid ad hanc accuſationem reſpondit Herbrando Gregorius? *Docendum tibi eſt librum Vergerii, ob eam rem eſſe ab Eccleſia damnatum, quod opinionem eiuſmodi de ſanctis Franciſco & Clara confutârit, non autem ob alios errores;* Certè libelli Caluiniſtarum, quibus veſtram Vbiquitatem refellunt, & tui, quibus errores quoſdam Caluiniſtis peculiares refutas, referuntur in catalogum librorum damnatæ lectionis, non ideò, quod illi Vbiquitatem, aut iſti errores de Prædeſtinatione & electione diuina reiiciunt, ſed quia id non ſine aliis adiunctis erroribus & blaſphemiis faciunt, mendaciaq; mendaciis euertere nituntur, cum hoc modo potius ſtabiliantur, quàm profligẽtur. Quocirca more tuo & ſuo mentitur Vergerius, cum tragicè vociferatur, libellum ſeu *diſcurſum* ſuum de Floſculis ſancti Franciſci fuiſſe ideo damnatũ; quod ſupradictam de Franciſco & Clara ſententiam refutaſſet; non enim ideo damnatus eſt; ſed quia *diſcurſus* ille Vergerianus, quantus quãtus erat, nihil aliud erat, ꝙ impotentiſſima & impudentiſſima in S. Franciſcũ, in S. Clarã, totãq; orthodoxã religionẽ declamatio, vel potius furioſa debacchatio. Quod quereris Papã, non damnaſſe libellũ, cui inſcriptio, *Floſculi S. Franciſci*, id decimum tuum eſto mendacium; & vndecimũ, ꝙ de libro Conformitatũ adiungis, quẽ negas, ab vllo Pontificũ interdictũ & proſcriptũ eſſe; Percurre obſecro catalogos librorũ ꝓhibitorũ, maximè eum, q̃ à Clemẽte VIII. publicat⁹ eſt; & fortaſſe delebis has tuas de *Floſculis* & *Conformitatibus* Franciſcanorũ mendaces Theſes, et ſi nõ pudefias, ſaltem intelliges te pudefieri debere; ſi qd pudoris tibi reliquũ eſſet: An nõ .n. vetãtur libri illi, quorum *principale* argu-

Verg. Tom. 1. Annot. in catalog. hæret.

argumentum bonum quidem eſt, in quibus tamen obiter aliqua inſerta ſunt, quæ ad hæreſin, impietatem, diuinationem, ſeu ſuperſtitionem ſpectant? An non interdicuntur huiuſmodi libri, donec deleantur & expungantur *propoſitiones hæreticæ, erroneæ, hæreſin ſapientes, ſcandaloſæ, piarum aurium offenſiuæ, temerariæ, ſchiſmaticæ, ſeditioſæ, blaſphemæ*: qualis vtiq; eſt iſta; quam Vergerius in Floſculis S. Franciſci contineri, neſcio quam verè, ſcribit: *Chriſtum illos duntaxat ſeruaſſe, qui vixerint vſque ad tempora Franciſcana.*

Ind. lib. prohib Reg. 8. de correct. libr.

Blateras, ſub Papatu vitam æternam decretam fuiſſe hominibus pro operibus, *non modo humanitus excogitatis, ſed abſurdis planè, ſtultis, & à publica honeſtate abhorrentibus.* Hoc duodecimum ſit mendacium. Nam quod ex libro *conformitatum* refers de fratre quodam à S. Franciſco ſine veſtib. concionari iuſſo, id aut fabula eſt, aut ſi S. Franciſcus id mandauit, non mandauit vt fieret, ſed vt promptitudinem ad obſequium & obedientiam fratris illius exploraret: cuius gratia legimus, cum à Deo olim, tum ab aliis ſanctis viris admodum admiranda opera fuiſſe mandata.

Ais: *Communicari poſſe* Monachorum *merita, certum erat olim pronunciatum*; certo tamen ſenſu, mi Prædicans, non quouis, & minimè illo, quem tu comminiſceris. Addis: *Bellarminum docere opus bonum, qua parte meritorium eſt, non poſſe aliis applicari.* Verum dicis; ſi verba ſpectemus, quia dicis id quod Bellarminus dicit: nam opus meritorium ſub ratione meriti aliis applicari non poteſt. Falſum autem dicis, ſi rem conſiderare velimus; nam tu de quouis merito loqueris, etiam illo, quod *de congruo* appellatur. Bellarminus tantum de merito condigni; quod, vt inquit Adrianus, & attingit etiam Bellarminus, *non excedit perſonam merentis, & ideo nulli applicari poteſt, ſub ratione meriti.*

Adrian. Quodlib. 8.

Subiungis: *Væ vobis Monachis.* Quid ita verò? *Quia ſi hoc dogma recipiatur, imminet vobis Saguntina fames. Quis enim poſthac vobis det teruncium; & vnde vos paſcat Satanas, ſi communicatio illa meritorum concidet?* Væ tibi Prædicans; quia ſi mentiri & calumniari prohibearis, imminet tibi tantum ſilentium, vt quouis Harpocrate magis ſis futurus mutus. Vnde enim paſces poſthac Satanam fraudibus & impoſturis, ſi conuiciandi & ſycophantam agendi poteſtas denegetur. Nulli Monachi applicant, aut applicarunt ſua merita aliis, ſub ratione meritorum de condigno, quia non ignorabant hoc fieri non poſſe; ſed applicarunt, & adhuc applicant per modum ſatisfactionis, item per modum impetrationis, & demum per modum meriti de congruo, quod meri-

Digitized by Google

meritum non in diuina iuſtitia, ſed miſericordia & liberalitate fundatur. Nec contradicit ſibi Bellarminus, vt tu calumniaris, cùm communicationem meriti de congruo alibi admittit, quia eam libro 1. de Indulg. cap. 2. non negauerat, quippe tantum de merito condigni locutus; nec quod tu, ſpiritu vertiginis correptus deliras, doctrinam ſuam euertit, cum cap. 3. lib. 1. ſcribit, merita martyrum poſſe communicari pœnitentibus; loquitur enim de meritis martyrum, non vt ſunt meritoria de condigno: ſic enim non communicantur, verùm vt ſunt ſatisfactoria.

Sed referatur & hoc ad irremeabilem Labyrinthum Creticohunnianum, in quo, quò longius progreditur, eo pluribus mendaciis, calumniis & fallaciis ſeſe *implicat, confundit & iugulat* Pſeudodædalus iſte, qui communicationem iſtam operum, vt ieiuniorum, eleemoſynarum, ſacrificii miſſæ, & applicationem pro viuis & defunctis pugnare nugatur cum efficacitate meriti filii Dei, *& cum eius abſolutiſſima obedientia, legi pro nobis præſtita, & cum paſſione eius pro nobis exſoluta*; quaſi verò hoc ipſum non ſit fructus & beneficium meritorum obedientiæ & paſſionis Dominicæ, quod opera non tantum ipſi operanti, ſed & aliis per communicationem prodeſſe poſſunt. Quaſi verò communicatio hæc non nitatur meritis, obedientia & paſſione Chriſti ſaluatoris, indeque omnem ſuam vim trahat, adeò vt non modò meritum, obedientiam & paſſionem Chriſti non imminuat, ſed mirificè etiam amplificet & celebret, eiuſque efficacitatem oculis, animiſque fidelium ſubiiciat, dum in ipſis noſtris operibus, tanquam in lucido ſpeculo, elucet vis, valor, & potentia meritorum Chriſti; ſicut & de ſplendore ſolis nihil idcirco decerpitur, quia etiam cum aëre communicatur, & in eo intuentibus conſpicuus apparet, imo eò maior eſt, quò latius diffunditur. Sed tu imaginaris tibi *abſolutiſſimam* quandam meritorum rationem & ſatisfactionem Chriſti, nullum prorſus reſpectum ad opera noſtra includentem, nobiſque eminus tantum imputatam ſine vllo in nobis opere, merito, & dono. Sed iam ſupra dixi, talem ſatisfactionem te non ex ſacris literis, ſed ex Lutheri inquinatis chartis hauſiſſe.

CAPVT VII.

De imputatiua iuſtitia & fide ſpeciali Lutherana.

DOLES reiici à noſtris ſcriptoribus *imputatiuam* veſtram iuſtitiam. Quis tale ſomnium tam febrile,& malè cohærens non rideret, & ridendo repudiaret? Deputas hoc blaſphemiæ, & Chriſtum ad vltionem flebilibus modis, aduocas. *Age, vides Domine Ieſu Chriſte, quomodo hæc impia turba perfidè contendat, iuſtitiam noſtram in te nobis non eſſe poſitam, & paſſionem ac mortem tuam ad iuſtitiam, ſolida & efficaci imputatione à Deo imputari non poſſe, qui tamen non pro tuis (quæ nulla erant) ſed noſtris peccatis ex decreto & imputatione Patris tibi impoſitis crucifixus es;* Videt, nihil dubito, Dominus mendacia, & ſycophantias tuas, iamq; *tetendit arcũ, & in eo vaſa mortis,* vt te, niſi reſipiſcas, cõficiat, confectumq; ad locum omnib. hęreticis deſtinatũ ableget. Videt proculdubio, quam ineptè ſcripturæ teſtimonia pro tua putatitia, & imputatitia iuſtitia agglomeres: quàm ineptas inde conſecutiones tantus argumentator deducas. *Nobis à Deo factus es iuſtitia,* 1. Cor. 1. *ergo per ſolam imputationẽ iuſtitiæ Chriſti iuſti ſumus.* Quidni & hanc addis? Nobis à Deo ſapientia factus es, vt ibid. teſtatur Apoſtolus. Ergo per ſolam ſapientiã Chriſti nobis imputatã ſapientes ſumus, nõ per quidquã in animis noſtris inhærens. *Iehoua iuſtitia noſtra diceris Hier.* 23. *Ergo per ſolam iuſtitiã Chriſti nobis imputatã iuſti ſumus.* Adde & hanc. Patientia noſtra Deus dicitur, Pſal. 70. ergo per ſolam patientiam Dei aut Chriſti nobis imputatam patientes ſumus. Spes noſtra Deus appellatur, ergo per ſolã ſpem, nobis imputatam, ſperamus.

Thef. 1. 170.

Pergis argutari: *Apoſtolus teſtatur Rom. 3. quod iuſtificemur per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, ergo per ſolã redemptionem* Chriſti *domini nobis extrinſecus imputatam iuſti ſumus; ſine vllo dono, vi, & efficacitate redemptionis illius in nobis inhærente. In hoc (Chriſto) omnis qui credit, iuſtificatur,* Act. 13. & Apoſtolus, quærit iuſtificari in Chriſto, Gal. 2. ergo *per ſolã imputatam nobis* Chriſti *iuſtitiam iuſtificamur. Hæc & id genus alia.*

Digitized by Google

alia, ad eandem Hunnianam diſſerendi rationem ſpectantia, *iſti falſi Doctores impugnant, teq; Dominũ, qui mercatus es illos, abnegant*, 2. Pet. 2. Vides lector, & fortè etiam rides, quomodo inſulſus iſte Prædicans, quando non habet, q̃ dicat, oret, & ad ſuperos nõ ſine ſeſquipedalib⁹ verbis, grandiloquiſq; apoſtrophis ſeſe conuertat, à quo tamẽ Chriſto & cœlitibus tanquam à calumniatore mens planè eſt auerſa.

Qui rurſus imperitiæ ſuæ egregium dat ſpecimen, cũ ita argumentatur: *Aliena opera poſſunt ſecundũ Põtificios aliis ad vitæ æternæ meritũ & ſatisfactionem imputari, ergo etiam opera Chriſti poſſunt nobis imputari.* Quis hoc negat? Imputantur nobis ad meritum vitæ æternæ, & ad ſatisfactionem noſtram, at non ſine noſtris operibus & ſatisfactionibus, nõ ita, vt per ſolã imputatam Chriſti iuſtitiã iuſti ſimus, ſed imputantur nobis, vt cauſa meritoria omnis noſtri meriti & ſatisfactionis & ſanctificationis, non aliunde, quàm ex hoc fonte manantis. At quod Albertus Pighius, & Antididagma Colonienſe in veſtrum errorem de imputatiua Chriſti iuſtitia impegerunt, quid id aut cauſæ tuæ prodeſt, aut noſtræ obeſt? Errarunt ſine hæreſi, quia ſine pertinacia: Errarunt non per malitiam, ſed per imprudẽtiam. Errarunt ſaluo Vnitatis & Concordiæ vinculo. Nec tamen planè ſenſerunt, quod vos, vt oſtendit Bellarminus. Quocirca mendacium eſt, cum ais: *Albertus Pighius Pontificius Doctor imputatam Chriſti iuſtitiam (fatente ipſo Bellarmino) vnà nobis cum defendit. Idem faciunt authores Antididagmatis Colonienſis, rurſus id agnoſcente Bellarmino.* Sed cur non refers ex eodem Bellarmino, in quo ſententia Pighii à veſtra diſſideat? Et ſi à veſtra diſſidet, non igitur veſtram planè vnà vobiſcum defendit: multoque minus vetuſtus ille liber, in quo moribundi monentur, vt omnem ſpem & fiduciam, non in quoquam alio, q̃ in merito & morte Chriſti collocent. Quid hoc ad Lutheranam imputationem? nam & is, qui ſpem etiam in actionib. propriis collocat, nõ eam niſi propter meritũ & mortẽ Chriſti in eis collocat, minimè collocaturus, ſi meritis Chriſti non niterentur, indeq; valorem & precium traherent. Quocirca, qui monet moribundum, vt in ſolo Chriſti merito ſpẽ ponat, is minimè eum, vt tu clamitas, *ad vnicã illam Chriſti iuſtitiã extra nos olim acquiſitã, & nunc in iuſtificationem & ſalutẽ nobis efficaciter imputatã*, remittit; ſed remittit illum ad meritum Chriſti, tũ vt eſt in ſe, tum vt eſt in nobis per dona gratiæ, bonorũq; operũ ex gratia profectorum. Itaque illud, *ſolum*, tantummodo excludit ea, quæ neque in ſe, neque in effectu merita Chriſti appellari poſſunt.

Theſ. 250. *Bellar lib. 2 de iuſtif. cap. 1.* *Theſ. 251.*

M 2 Do-

Docent orthodoxi, fidem non tantum iuſtificare vt fertur in ſolam paſſionem & mortem Chriſti, ſed vt fertur implicitè ſaltem in omnia, quæ credenda Deus reuelauit, qualiacunq; illa ſint. Vbi Hunnius rurſus per Apoſtrophen lamentabiliter: *Sic verò Domine Ieſu Chriſte* (quam ardens pietatis affectus in hoc Prædicante) *fides quatenus fertur in ſacroſanctam paſſionem tuam non aliter, nec magis aut principalius iuſtificat ex Pontificiorum dogmate, quam quatenus fertur in doctrinam de Diabolis & inferno, ſiquidem & hæc in ſcripturis reuelata eſt. Quod quàm ſit auditu horrendum, non dubitamus pias mentes recto iudicio iudicaturas eſſe.* Videlicet illæ piæ mentes, quæ ſpirant pietatem Hunnianam ab impietate nihil differentem. Fides vnum non magis credit, quàm aliud, cum omnia credat propter diuinam reuelationem, quæ non magis infallibilis eſt reſpectu eorum, quæ nobis Deus de Chriſto reuelauit, quàm reſpectu eorum, quæ nobis de dæmonibus & inferis patefecit. Et niſi fides ad hoc quoque dogma de ſpiritibus damnatis & inferis, implicitè ſaltem, extenderetur, vtiq; vera fides non eſſet, ac proinde ad iuſtificationem nihil conferret.

Thes. 157.

Specialem illam fidem veſtram, rectè dixit iam dudum Bellarminus non pertinere ad *fidem*, ſed ad *præſumptionem*, eamque planè temerariam, omnique ratione deſtitutam. Quid enim vanius, quàm tum demum efficaciter te iuſtificari, cum certo certius ſtatuis te iam iuſtificatum, & in gratiam receptum eſſe. Scripturæ teſtimonia, quæ tu & alii Prædicantes pro hac inani perſuaſione veſtra congeritis, mouent fortaſſe pueros, ad verborum duntaxat ſonitum attendere & obſtupeſcere conſuetos, non cordatos viros, qui quid verbis ſubiiciatur, diligenter perpendunt, non ignari, quo genio diuinarum literarum oracula citetis & recitetis. *Speciem ſuam diſſimulat*, inquit S. Athanaſius de hæreſi Ariana, ego de Lutherana, *& literarum ſacrarum vocibus, quaſi honeſto cultu, induitur, vt pater eius diabolus: ac ſatagit denuò intrare in paradiſum Eccleſiæ, quo ſub ſpecie Chriſtianiſmi nonnullos ſeducat, vt credibilitate falſarum rationum perſuaſi contra Chriſtum ſentiant. Veris enim rationibus nihil eſt apud illos firmum & ſtabilitum. Imò, quod peius eſt, iam nonnullos inſipientes circumuenerunt, tantoque errore compleuêre, vt non ſolum auribus delirent, ſed ad Euæ imitationem oblata deguſtent, & à deguſtatione cæci captiq; ſenſibus, amara dulcia eſſe arbitrentur, & abominabilem hæreſim pulchram exiſtiment.*

Thes. 158.

S. Athan orat. 2. contra Arianos.

Et tametſi Hunnius, *ſerpentis more, ſurſum deorſumque ſeſe voluat, non tamen effugere poteſt, vt non cadat in errorem Phariſæorum. Quemadmodum*

S. Athan. loc. cit.

Digitized by Google

*modum enim illi, cum legem tranſgredi vellent, legis tamen verba prætendebant; & cùm eius animi eſſent, vt exſpectatum hactenus, & iam præſentem Dominum abnegarent, Deum quidem in ore habebant, ipſum tamen blaſphemare deprehendebantur, cum his vocibus vterentur; cur tu homo cum ſis te Deum facis? & dicis: Ego & pater vnum ſumus; ita quoque fucatus & Sotadicus Arius (*Hunnius*) ſimulat ſe de Deo loqui, cum interponat verba ſacrarum literarum, deprehenditur tamen vndecunque* impius & mendax, quippe qui Labyrinthum ſuum hoc etiam loco inſigni mendacio exornat; cum ſcribere non veretur: Magiſtrum ſententiarum de fide iuſtificante idem docere, quod Lutherani docent. Vbi hoc Magiſter? Tu citas libr. 3. ſent. d. 19. At eo loci nihil aliud dicit Lombardus, quam nos iuſtificari & à peccatis mundari per fidem mortis IESV CHRISTI, fideique intuitu in illum, qui pro nobis pependit in ligno, à vinculis Diaboli ſolui. Quis hoc negat, Prædicans? An non eadem eſt omnium noſtrum ſententia? profer locum; vbi Magiſter affirmet nos tantùm fide in Chriſtum redemptorem, *tantùm*, inquam, tanquam vnicum fidei iuſtificantis obiectum, iuſtificari, quod vos ſomniatis. Profer etiam locum, vbi Magiſter dicat, Chriſtum vt hominem, eſſe primarium obiectum fidei. Item, vbi aſſerat nos magis & *principalius* iuſtificari per fidem in Chriſtum, quam per fidem in Deum, vt Deus eſt primarium obiectum fidei.

Caſſandrum tibi tuoque gregi non inuidemus. Itaque operam ludis, cum eius auctoritatem nobis obiicis. Non magis mouemur quam ſi Eraſmi ſententiis nos vrgeres. Specialem illam fidem veſtram, vel rectius inaniſſimam præſumptionem meritò damnauit Concilium Tridentinum. Merito illam quoque Concilij veſtigiis inſiſtens refellit Bellarminus. Vbi tu tamen & Concilium & Bellarminum, nouo vel potius vetere, quia omnibus prædicantibus vſitato, mendacio aggrederis, dum ſcribis, tam illud, quam hunc, vt & alios Pontificios, *dubitationem de gratia Dei, de remiſſione peccatorum & ſalute, laudare, & pro dogmate venditare, & in virtutum cenſu collocare.* Falſum ſcribis vel ex malitia, vel ex imperitia, vel ex vtraque. Neminem iubemus dubitare. Tantùm hoc contendimus, nulli abſque peculiari reuelatione ſuam ſalutem certam eſſe poſſe: Aliud autem eſt propriè loquendo, non certò ſibi rem perſuadere, & aliud, dubitare. Nam qui dubitat, inter vtramque partem fluctans hæret, neutrique aſſentitur. Qui aliquid certò ſibi non perſuadet, vt in noſtro propoſito, is alteri parti determinatè aſſentitur, ſed cum formidine oppo-

ſiti, vt euenire ſolet in opinione. Non igitur de ſalute dubitare, & in vtramque partem fluctuare quempiam volumus, imo iubemus, vt ſuppoſito virtutum ſtudio, peccatorumque odio, de Domino in bonitate ſentiat, ſeque ex numero filiorum Dei eſſe, & in æternum quoque futurum ſtatuat, ſed non certò, non temerè, non præſumptuoſè, non iſto fine, quaſi iuſtificationis non ſit capax, niſi hoc certò ſibi perſuadeat.

Bellar. lib. 1 de iuſtif. cap. 10. Dictum Bellarmini, neminem (ſeclusa peculiari reuelatione) poſſe credere (certò ſcilicet & infallibiliter) ſe iuſtum eſſe; vocat Prædicans, *tenebras plusquam Cimmerias.* Quod elogium aptiſſimè quadrat in ſpecialem fidem Hæreticorum. Nam in toto Lutheraniſmo non videtur maior ineſſe cæcitas, quàm quod reperiuntur, qui ſe iuſtos aut ſanctos eſſe certò certius, vel ſponte ſua ſtatuant, vel vt ita ſtatuant, ab aliis ſibi perſuaderi ſinunt. Quid enim vel à ratione, vel à ſacris literis, vel à ſanctorum vſu & conſuetudine, quotquot hactenus exſtiterunt, alienius?

Theſ. 270. *Nunc ſpectemus*, inquit Prædicans, *conflictum Pontificiorum.* Qualem verò conflictum? Tres aut quatuor producit Doctores, quorũ nullus dicit quod Lutherani dicunt. Nam Antonius Marinarius tantum vult, vt quis de ſua ſalute non dubitet; vt cum Apoſtolo exclamet; *quis me ſeparabit à charitate & fiducia Dei mei;* vult, vt propriis meritis non fidamus, ſed ſpem noſtram in miſericordia & benignitate Dei collocemus, & id genus plura, quæ à nobis non negantur, ſed publicè & priuatim docentur, non neſcij enim ſumus illum quoque, fiduciam ſuam in Chriſto, & benignitate Dei ponere, qui in operibus item propriis aliquid ſpei ponit, cum id non faciat, niſi per Chriſtum & propter Chriſtum, à cuius munere venit, vt opera etiam noſtra ad vitam æternam valeant. Et vt multum Marinarius dixerit, idem dixit quod Ambroſius Catharinus, quem itidem citas; cuius ſententia quantum à veſtra diſtet, docuit te Bellarminus: Etſi tu quod docuit, non didiciſti, aut ſaltem te didiciſſe diſſimulaſti, aliâs de Marinario mendaciter non diceres; *copioſè noſtram ſententiam tuetur ac aſtruit.* Quid? *Theſ. 271.* an ideo veſtram ſententiam aſtruit, qui vult, poſſe homines certam omniſque formidinis expertem notitiam in hac vita comparare? An ideo Marinarius aut Catharinus dicunt, hoc non ſolùm poſſe fieri, ſed etiam debere à ſingulis fieri, alioquin nec fideles nec iuſtos futuros? An ideo profitentur hac ipſa fide, & ſola hac fide homines

Digitized by Google

iuſtificari? An ideo dicunt notitiam illam eſſe notitiam Catholicæ & vniuerſalis fidei; quæ ſunt deliramenta veſtra. Tu ſi prædicans non eſſes, haud ſimpliciter, & hic & alibi ſcriberes, hos vel illos Doctores Pontificios vobiſcum ſentire: ſed explicares, in quo vobiſcũ ſentiant, in quo diſſentiant, non enim ideò abſolutè à veſtra parte ſtare cenſendi ſunt, quod partem veſtri alicuius erroris tuentur, & in vno capite vobiſcum conſpirant, niſi tu ſimul equum velis dicere eſſe hominem, quia cum homine in animali conuenit.

Sic nec auctor Antididagmatis Colonienſis planè vobiſcum conſentit, vt demonſtrat Bellarminus; & multo minus ad hæreſim cohoneſtandam faciunt quæſtiones *ex Anſelmi*, vt inquis, *meditationibus olim homini morienti proponi ſolitæ: num firmiter credat, quod dominus noſter Ieſus Chriſtus verus Deus & homo, ipſius gratia ad liberandum ipſum ab æterna morte, crucifixus & mortuus ſit? Item: Num firmiter credat, quod non poßit in æternum ſaluari, niſi per paßionem & mortem Ieſu Chriſti? Ad quas quæſtiones affirmatè iubebatur reſpondere ægrotus.* Quid hinc pro præſumptione tua, fideque non iuſtificante; ſed omnem rationem iuſtificationis funditus euertente, colligis? Nam & hodie ſimiles quæſtiones animam agentibus proponuntur, neque enim datum eſt *nobis aliud nomen*, in quo ſaluari queamus *præter nomen* Saluatoris Chriſti.

Quod Sotus teſtimonium Spiritus ſancti teſtificantis, *quod ſimus filij Dei*, falſitatis arguat, vt hic ſcribis, id mendacium tuum eſt, & quidem impudens, cum ſumma impoſtura coniunctum. Nam Sotus verba illa ſua, *credo eſſe omnino falſum*, quæ tu maiuſculis excudi iuſſiſti, minimè retulit ad hoc dictum Apoſtoli. *Ipſe autem ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quod ſimus filij Dei*: ſed ad falſam ſententiam, quam ex illo Apoſtoli dicto Catharinus malè colligebat. Verùm niſi ſæpius mentireris & criminareris Labyrinthũ tuum magis ac magis inextricabilem non redderes. Caſſandrum iam aliquoties liberaliter tibi donaui. Nihil nobis cum illo negocij qui non leges ab Eccleſia accipere, ſed Eccleſiæ leges tentat præſcribere.

Theſ. 17.

Sotus Apolog. cõtra Cathar.

Rom. 8.

A Dominico Soto regrederis ad Bellarminum, qui non dubitationem, vt tu fingis, ſed incertitudinem gratiæ, præter cætera probat etiam ex illo loco Apoſtoli 1. Corinth. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Tu duo dicis, quorum neutrum, verum. Primò. *Bellarminum adſcribere Apoſtolo dubitationem de ſua gratia & iuſtificatione.* Non eſt ita: adſcribit incertitudinem, eamque rectè conclu-

Bellarm. lib. 3. de iuſtif. cap. 5.

concludit ex prædicto loco. Aliud eſt incertitudo de ſalute: aliud, dubitatio, (quam tamen non ignoro aliquando pro incertitudine poni) Etſi enim omnis dubitans eſt incertus, non tamen omnis incertus eſt dubitans, loquendo propriè de dubitatione. Secundò. *Bellarminum euertere hanc ſuam doctrinam, cum ait, poſſe aliquem adipiſci certitudinem de gratia per peculiarem reuelationem diuinitus ſibi factam.* At quomodo, oro, hoc poſterius euertit illud prius? An non veritas harum propoſitionum; *iſte non habet certitudinem ſuæ gratiæ*: Et: *iſte poteſt certitudinem gratiæ diuinitus obtinere per peculiarem reuelationem*: comparatione eiuſdem hominis, ſimul, vno & eodem tempore ſubſiſtere poteſt? An qui poſterius aſſerit, ideo prius illud deſtruit?

Sed ais. *Paulo certitudinem fuiſſe de ſua gratia & ſalute.* At non eſt quæſtio de Paulo, ſed de Bellarmino; vtrum ſibi contradicat, ſuamque doctrinam ipſemet euertat, vt tu calumniaris. Nam ſi Paulus gratiæ & ſalutis ſuæ euidenter certus fuit, tunc locus citatus explicandus eſt, non de ipſo Paulo, ſed de illis, quorum perſonam Paulus tunc iuduit, cum illud ſcripſit; aut de Paulo præciſè, vt & ipſe vnus ex fidelium numero erat: aut dicendum, hoc à Paulo ſcriptum, antequam peculiari de ſua gratia reuelatione certior redderetur. Nec certitudo hæc omnimoda, quod ad ſanctum Paulum attinet, euincitur ex illo loco ad Rom. 8. *Certus ſum enim, quod neque mors neque vita,* &c. nam quomodo hunc locum explicet Bellarminus, vix ignorare te puto, niſi affectatè aut craſsè, ne deſit criminandi argumentum. Quomodo, inquit Prædicans, *cum aliis concordabit Ieſuita, qui nobis ad certitudinem ſalutis aſtruendam producentibus Apoſtoli locum Rom 8. Scio quod neque vita neque mors &c. poßit nos ſeparare à dilectione Dei; reſpondent, Apoſtolum ideo potuiſſe eſſe certum, quia peculiariter hoc ei ſit reuelatum.* Reſpondebit Bellarminus, auctores conuenienter ſuæ opinioni facere, & in re incerta, dubiaque ſequi id, quod veriſimilitudine non caret; neque opus eſſe, vt cum aliis concordentur, quia diſcordes non ſunt, cum ſaluo charitatis vinculo id amplectantur, quod vero propius credunt. Diſcordia, ſi neſcis Prædicans, non tam ſignificat ſententiarum diuerſitatem, quàm ſtudiorum & voluntatum. Quare vt quis diuerſum ab aliis ſentiat, diſcors tamen propriè loquendo non eſt, quando cum illis adhuc corde, hoc eſt, amore & beneuolentia copulatur.

Ais, *nos facturos diſpendium multorum axiomatum; ſi doceamus hominem in*

Digitized by Google

dem in hac vita nunquam de gratia Dei, nunquam de remiſſione peccatorum nunquam de vita æterna poſſe eſſe certum. Quæ verò illa axiomata, quæ dogmata? Enumera. *Docet Bellarminus libr. 3. de Iuſtificatione cap. 2. fidem veram debere eſſe certiſſimam.* Hoc docet Bellarminus, & quidem rectiſſimè. *Hinc probabimus*, inquit Prædicans, *nullum Pontificiorum habere fidem veram, hoc ſyllogiſmo*: Attende lector & Spermologi huius ſummam audaciam, vanitatem & imperitiam obſtupeſce. *Qui habet fidem veram, debet de ſua ſalute eſſe certus, ſiquidem, ipſomet fatente Bellarmino, fides debet eſſe certiſſima, Pontificij non ſunt de remiſſione peccatorum, gratia Dei, iuſtificatione, & ſalute ſua certi, nedum certiſſimi. Ergo non habent fidem veram. Sic euerſus iacet totus Papatus.* En ſuperbiloquentiam pluſquam Thraſonicam. Negat vetus verbum, *Quercum vno ictu deiici.* At iſte thraſo totum Papatum vno ſyllogiſmo proſternit. Erigetur tamen denuò, ſi negetur ſyllogiſmi maior, qua negata & interciſa, quo ſe vertet vaniſſimus blatero? Nego Hunni iſtam Maiorem. *Qui habet fidem veram debet de ſua ſalute eſſe certus.* Proba maiorem. Imo ne tibi faciam iniuriam, iam probaſti. *Fides debet eſſe certiſſima*, ipſo Bellarmino fatente. *Ergo quilibet habens veram fidem debet eſſe certus de ſua ſalute.* Reſpondeo, conſequentiam eſſe inanem, vanam, futilem, & vt vno verbo omnia vitia complectar, *Hunnianam.* Bone Deus, eóne inſipientiæ plurimi proceſſerunt, vt ſimilium argumentationum ſummam inſcitiam non modò non animaduertant, ſed & propemodum adorent?

Audi Hunni. Fides debet eſſe certiſſima, ſed reſpectu ſuorum obiectorum; In hæc enim certiſſimò ſine vlla formidine oppoſiti tendit. At gratia propria & propria vniuſcuiuſque ſalus, non eſt obiectum fidei; quo fit, vt quis vera fide, quæ certiſſima eſt, præditus, non ideo de gratia & ſalute ſua euidenter ſit certus, cum hoc obiectum non ſit intra ambitum eorum, in quæ vera fides, tanquam in obiecta ſua, fertur. Sic euerſa iacet tota vanitas Hunnij, qui mox ſimilis notæ ſyllogiſmum nobis cudit, *Qui perfectè poteſt implere legem Dei, poteſt etiam de ſalute ſua eſſe certus ſecundum indubitatum verbum Saluatoris: hoc fac & viues. Et Pauli Galat. 3. qui fecerit ea homo, viuet in eis. Renati (ex ſententia Papiſtarum) poſſunt perfectè adimplere legem Dei, ergo poſſunt etiam de ſalute ſua eſſe certi.* Reſpondeo Maiorem eſſe falſam. tu quomodo eam confirmabis? Confirmas duplici ſcripturæ teſtimonio. *Hoc fac & viues; ergo poteſt quis eſſe cer-*

Docebant, inquis, Scholaſtici, *Deum homini facienti, quod in ſe eſt, immutabiliter infundere ſuam gratiam. Ergo certi ſunt de gratia.* Reſpondeo etiamſi antecedens eſſet verum, Conſequentia tamen eſſet Hunniana; hoc eſt, inepta & inconſequens, cum poſſit quis facere, quod in ſe eſt, ſimulque certò non ſcire, vtrum faciat quod in ſe eſt. Quando tandem Hunni deſines ineptire? ne dicam mentiri, vt cum hic ſciſcitaris; *Hoc ſi ita eſt, cur ergo (malùm) dubitant, de gratia illa Dei?* Non dubitamus prædicans: aliud eſt dubitare, aliud certò rem non ſcire. Quæ (malùm) iſta vel ignorantia vel petulantia; quæ id, quod toties repetitur & inculcatur, non capit?

Subiungis. *Docent veteres ſcholaſtici, & hodie Bellarminus, atque alij, omnem actum Charitatis, ſeu quodlibet opus bonum à charitate dimanans, ex condigno mereri vitam æternam: ergo certi ſunt de vita æterna.* Reſpondeo, Hunnium ne culmum quidem à ſe deſciſcere: Manet inuariatus Hunnius, hoc eſt, aut impoſtor fraudulentus, aut ignorantia plus quam inuincibili occupatus: Conſequentia hæc ſimilis eſt prioribus: falſa, inepta, inſcitiæ plena. Cum enim homo certò non ſciat, an actus Charitatis, quos exercet, ſint naturales an ſupernaturales; certò itidem ſcire nequit, num præmium actibus ſupernaturalibus debitum, hoc eſt, vitam æternam mereatur. Dices. *Meretur actus charitatis vitam æternam; ergo certò & abſque vlla formidine oppoſiti ſcit ſe illam mereri.* Sed negatur conſequentia. Cui tu tùm fidem facies, cum fidem ſupra lectoribus obligatam, & toties nunc amiſſam, recuperaueris, quod fiet cum Hunnius eſſe deſieris.

Necdum finis pulcherrimorum argumentorum. *Monachi applicant aliis opera ſua in vitæ ſempiternæ meritum, ergo ſunt certi de ſua gratia & ſalute.* Scitiſſimè: probationem conſequentiæ ſi à prædicante poſcas, hanc non tam dat, quam inſinuat. *Monachi ſunt certi de ſalute & vita æterna illorum, quibus ſua opera applicant, ergo etiam de ſua.* An non hæc digniſſima argumenta ſunt illo prædicante, qui plus loquacitate, quam ratione, plus impudentia, quam prudentia valet? Quis ſani capitis eſſe credat eum, qui tam ſtolidè de rebus grauiſſimis diſſerit? Certum eſt apud orthodoxos, fructum bonorum operum aliis applicari poſſe; eo modo, de quo ſupra breuiter diximus: nimirum quoad vim ſatisfaciendi, impetrandi, & merendi etiam, ſed de congruo tantum, nam meritum de condigno (Christum hominem excipio) non tranſcendit ipſam perſonam merentis. At ei, qui operatur, certò non conſtat, vtrum opus quod agit, eiuſmodi conditiones

Digitized by Google

habeat; quales habere debet, vt apud Deum præmio aliquo dignum iudicetur, nec certò compertũ habet; vtrum is, cui opera ſua applicat, ſit capax huiuſmodi applicationis; quandoquidem fieri poteſt, vt in mortali peccato hæreat, aut etiam ſemper ſit hæſurus; vt proinde hoc, quidquid eſt fructus, ei minimè fructuoſum accidat.

Pergis, inſanire dicam, an diſputare? *Ingreſſus religionis remittit peccata; ergo Monachi religionem ingreſſi certò ſciunt ſe à peccatis expiatos, cum certò ſciant ſe Religionem ingreſſos.* Reſpondeo; quomodo ingreſſus in religionem peccata dimittat, ſuprà expoſuimus: hic tantum addo, conſequentiam hanc eſſe priorum ſororem; eodem inepto genitore Hunnio procreatã, qui ſi non deliraret, nunq̃ talia deliramenta effunderet. Sciunt Monachi, ſe religionem amplexos eſſe, & quidem euidenter id ſciunt: ſed non certò ſciunt: num ex animo remouerint omnem obicem; quem remotum oportet, ſi emolumentorum; quæ exordium religioſæ profeſſionis parit, capaces eſſe velint.

Progrediamur in hoc acutiſſimorum argumentorum ornatiſſimo Labyrintho. *Sacrificuli aut Monachi, cum eis datur quippiã, aut Teſtamento legatur, ſolent oppignerare animas ſuas pro ſalute eorũ, à quibus accipiunt beneficia: ergo ſunt de illorum ſalute certiſſimi, ergo etiam de ſua.* Reſpondeo, Hunnium ineptiæ & imperitiæ ſuæ admiſcere calumniam & mendacium; nullius enim Religioſi ordinis profeſſor animam ſuam alteri oppignerat: nam anima res eſt præſtantior, quàm vt in pignus dari queat. Interim & hic ſapientiam ſuam prodit Hunnius; nam per hoc, quod aliqui ſuorum operum alios participes faciunt; nullam de ſalute eorum certitudinem acquirunt. Sed occlamabit Hunnius, fieri non poſſe; vt alter alterum in communionem bonorum operum adſciſcat, niſi de ſalute illius certior reddatur, ſed occlamabit tantum; & quidem contra conſcientiam. An enim pro alio quis preces ad Deum fundere nequit; niſi certò ſciat, eum iam gratia diuina exornatum, & in filiorum Dei numerum relatum eſſe?

Sequitur aliud argumentum in eadem Hunniana officina elaboratum. *Pontifex promittit certas indulgentias omnibus qui Romam currunt, ergo qui indulgentias illas recipiunt, certò ſciunt ſibi peccata eſſe remiſſa.* Reſpondeo, hoc argumentum ne vno quidem pilo prioribus ſanius & melius, & validius aduerſus nos eſſe. An non hæc certiſſima propoſitio & veritas: *Pontifex Romanus tanquam Vicarius Dei, ſucceſſorque Petri Apoſtoli, certiſſimas largitur indulgentias omnibus illis, qui ſe illis recipiendis idoneos reddunt,* conſiſtere poteſt cũ incertitudine in homine,

qui

Digitized by Google

qui indulgentias recipere conatur; cum certò & euidenter non ſciat; vtrum omnia illa præſtet aut præſtiterit, quæ requiruntur ad hoc, vt quis indulgentiarum particeps fiat. Cæterum mendaciis annumeretur Hunnianis, quod hic nugatur Prædicans; *Papam pro certa pecunia venias & indulgentias dare incertas; & quidem ſecundum taxam curiæ.* Sed hoc eius de indulgentiis & taxa curiæ mendacium, taxauit iam nuper probè admodum & ſolerter Schoppius: vt mirum ſit Prædicantem iſtum adhuc ſine pudore cum gerris iſtis in medium procedere; qui mox ſcurræ perſonam induit, vt maiorem fidem apud ſuos inueniat: ſic ergo ſcurratur an argumentatur? *Pontifices etiam Angelis præcipere conſueuerunt, vt viatorum Romam indulgentiarum redimendarum gratia tendentium, ſi illos in itinere mori contingat, animas protinus exceptas in cœlum rectà deportent: Ergo Pontifices ſunt certi de illorum ſalute; quibus tam magnificè cauent: Si certi ſunt de ſalute illorum; cur non & de ſua?* Omiſſa calumnia, quam texis de præcepto Angelis dato; non enim præcipit Pontifex, vt Angeli viatores in via defunctos ad cœlum deferant; ſed rogat & obſecrat, vt id faciant: Reſpondeo, Pontificem certiſſimum eſſe omnes illos rectà ad cœlum proficiſci, qui plenariam indulgentiam conſequuntur: vtrum autem iſte an iſte indulgentiam obtineat, certum Pontifici non eſſe: quia alieni pectoris arcana non nouit; cum nec ipſe homo ſui cordis abdita certò norit: Quo fit, vt nec de illorum ſalute queat eſſe omninò certus, & ſic nec de ſua, vt tu imperitè concludis.

Schop. lib. de Indulg. contra Hunn.

Nec minus acutum hoc geminum, quod ſubiungitur, argumentum: *Pontifex certiſsimus eſt de ſalute eorum, quos canonizat, ergo etiam de ſua. Pontifex non eſt certus de ſalute ſua; ergo nec de ſalute eorum, quos canonizat.* Quis tam hebes & plumbeus eſt; qui vanitatem iſtarum conſecutionum non animaduertat? Nam quod Pontifex certus eſt, vt & alii Eccleſiæ Catholicæ alumni, de ſalute illius, qui ſolẽni ritu, ſanctorum catalogo adſcribitur, id prouenit ex promiſſionibus Chriſti, de infallibili Pontificis auctoritate in iis rebus, quæ ad vniuerſam Eccleſiam pertinent: cuiuſmodi eſt *canonizatio ſanctorum.* Certiſſimò igitur ſcit Pontifex, & alii cum Pontifice, talem inter cœlites vitam beatam agere. De ſe autem, num aliquando ad cœleſtem beatitudinem peruenturus ſit, id minimè pro certo compertum habet; quia id de ſe ex pontificia auctoritate definire nequit. Et quæ tandem eſt hæc conſequentia? *Certus eſt de ſalute aliena, ergo etiam de ſua.* An certitudo prior ita eſt affecta, vt ad eam neceſſariò exſiſtat poſterior?

Digitized by Google

Nunc poſtquam infeliciter & impudenter argumentatus es, infelicius & impudentius mentiri ingrederis. Ais: *nos interrogatos, num non renatus poßit opera bona facere, negare.* Atqui non ſimpliciter negamus, ſed diſtinguimus: Talem enim quędam opera moraliter duntaxat bona efficere poſſe, non abnuimus: poſſe autem facere opera, quæ ad vitam æternam valeant; prorſus inficias imus, niſi ſine baptiſmate fluminis, renatus ſit baptiſmate flaminis. *Si quæras, inquit, an homo non renatus poßit habere veram fidem; affirmant.* Atqui pleriq; non affirmant; ſi talis nec fluminis, nec flaminis baptiſmate ſit renatus. Putant .n. fidem primò nunquã dari ſine gratia & charitate; etſi probabilitate nõ caret, quod alii tradunt; videlicet, fieri poſſe, vt quis primò acquirat fidem ſine charitate: & quidem ſi hoc fiat in baptiſmo propter obſtaculum quoddam, quo charitatis infuſio præpeditur, non autem infuſio fidei, tum talis non poteſt cenſeri non renatus, cum verè ſit baptizatus. At ſi cõtingat extra baptiſmum; tunc non eſt quidem renatus aut fluminis aut flaminis baptiſmate; ſed tamen fidem, quam adeptus eſt, non propriis viribus & induſtria, ſed diuino munere adeptus eſt: Sed probas aſſertionem tuam ex Concilio Tridentino. At dum probas, mendacium mendacio cumulas; nam Concilium loquitur de peccatoribus; ſed fidelibus; hoc eſt; baptizatis, fideq; per infidelitatis crimen non deſtitutis, quos nemo nõ *renatos* vocauerit; præter te; qui vt ſcias, quid ſit naſci; verè tamen neſcis, quid ſit in Chriſto renaſci. Hos ergo renatos docet Concilium Tridentinum retinere fidem; amiſſa per peccatum mortale iuſtificationis gratia.

Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 15.

De iiſdem loquitur Bellarminus, cum ait; fidem à charitate ſeiungi poſſe, cuius verba fortè intellexiſſes, niſi ex poculo Lutherobabylonicæ *meretricis* (agnoſcis tua verba) *tibi propinato* largius bibiſſes: Ex quo hæreticobabylonis poculo ebrius ſic *inceſpitas. Huic horribili paradoxo Concilii & Bellarmini, opponimus ius Pontificium, quod decreto (de pœnit: diſtinct. 2. Charitas eſt aqua) ex Auguſtino dicit: q̃ ſi charitas à* Chriſtiano*rum fide ſeiungi nequit, cui ſoli venia promittitur; quomodo qui charitatem nõ habuerit, fidem* Chriſtianorum *habuit, hoc eſt, in Chriſtum credidit?* Hic primò obſeruet lector, quã peritus Hunnius canoniſta ſit; qui verba & gloſſas Gratiani ab ipſis canonib. diſcriminare neſciat. Deinde cupio vt verba, quæ Hunnius citat, in Auguſtino mihi demonſtret. Tertiò, vt oſtendat, vbinam ius Pontificium, ſeu ipſe Gratianus, dicat; hęc verba, quæ Hunnius adducit, ex Auguſtino eſſe deſumpta. Ad extremum reſpondeo, verba illa, cuiuſcunq; ſint; accipi debere de fide viua

Theſ. 308.

& for-

Digitized by Google

& formata, ab hac enim charitatem ſeiungi non eſt magis poſſibile; q̃ vt candor ſeparetur à cycno; cycnuſque nihilominus candidus maneat. Et hæc viua fides Chriſtianorum fides per excellentiam dici ſolet, cum hæc ſola ad meritum & beatitudinem conſequendam valeat. *Hæc fides vita animæ exiſtit*, inquit S. Auguſtinus, *& per hanc iuſtus viuit. Hæc fides ſpe nutritur, vt corpus cibo reficitur: dilectione animatur, vt corpus anima viuificatur.* Notetur autem fraus Huſſii, qui voculam illam *ſoli* maiuſculis excudi curauit; quaſi referatur ad fidem, vt ſenſus ſit: *ſoli* fidei veniam peccatorum promitti, cum referatur ad charitatem ex mente eius auctoris; qui primus verba illa protulit. Quod autem ille ipſe auctor quærit; *quomodo qui charitatem non habuerit, fidem Chriſtianorum habuit, hoc eſt, in Chriſtum credidit*; id facit propter modum quendam loquendi à S. Auguſtino vſurpatum; qui inter hæc, *credere Deum, credere Deo, & credere in Deum* differentiam ſtatuit; *quia*, vt inquit, *in Deum tantum credunt, qui eum diligendo, in eum tendunt*; nimirum tanquam in vltimum finem; quo pacto certum eſt, peccatis mortalibus obſtrictũ non credere in Deum; cum alium finem vltimum ſibi propoſuerit: alio tamen modo credit in Deum; tanquam in obiectum primarium fidei, licet cum charitate non coniungatur. Nam fidem à charitate ſeiungi poſſe, manifeſtum fit cum ex aliis, tum ex hoc S. Auguſtini teſtimonio; *ipſam fidem non facit vtilem niſi charitas; ſine charitate quidem fides poteſt eſſe, ſed non prodeſſe.*

S. Auguſt. lib. de cognit. veræ vitæ, c. 37.

Vide S. Thom 22. q. 2 a. 2.

S. Auguſt lib. 15. de Trinit. cap. 18.

Caſſandrum quem citas, tanti pendimus, quanti Caſſandram Priami filiam. Ais hinc ſequi; *vera fide præditos damnari poſſe.* Omnino hoc ſequitur; *ſed concidet*, inquis, *pronunciatum Catholicum toties inculcatum; omnis, qui credit in me, habet vitam æternam, Ioan. 3. & 6. & Rom. 9. omnis, qui credit in eo, non pudefiet.* Non concidet, quia Chriſtus & Apoſtolus loquuntur de fide viua, & formata, non de mortua, & informi; qualis eſt illa, quæ charitate deſtituitur, hanc enim ad beatitudinem non ſufficere perſpicuè docet his verbis Apoſtolus: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* *1. Cor. 13.*

Quomodo, inquis, *conſtabit illud Apoſtoli, qui de his, qui profeſſione ſunt Chriſtiani, ſed ſuorum curam non gerunt, enunciat, quod fidem abnegarint, & ſint infidelibus deteriores, 1. Tim. 5.* Reſpondeo cum Bellarmino, tales non dici fidem abnegare; quod habitum fidei amittant; negligendo curam ſuorum domeſticorum; ſed quia non viuunt, vt fides viuendum docet; ſignificat enim eos non verè oſtendere ex operibus fidem ſuam, ac per hoc non habere veram fidem in oſtenſione operũ.

Bellar lib. 1 de iuſtif. cap. 15.

Digitized by Google

Hęc Bellarminus; ex cuius doctrina minimè colligitur; quod tu hic inſipienter infers; ipſos dæmones *fidelium* appellatione afficiendos eſſe: minimè verò; non enim prædití ſunt habitu fidei, virtutis Theologicæ; à quo Chriſtianis præcipuè *fideliũ* cognomentũ venit. A*t crediũt quædam; & quidem aſſenſu firmo; teſte S. Iacobo.* Nemo negauerit. Sed credunt fide acquiſita, non infuſa & Theologica. Credunt ea fide, qua vos hæretici nonnulla religionis capita creditis.

Mendacium de dubitatione iterum ingeris. Fortè putas fore, vt decies repetitum placeat. Falleris; manet enim id quod eſt; licet millies iteretur. Non iubemus, vt iuſtificatus dubitet, num credat; illud tantum monemus, ne certò ſibi perſuadeat, quod certò ſcire non poteſt, niſi peculiari & extraordinaria reuelatione diuinitus inſtruatur; nimirum, ſe fidem veram & ſupernaturalem habere; veræq; & ſupernaturalis fidei actus elicere: hoc enim, quantumuis iuſtificato, liquidò non conſtat: nec ad fidem, ſed potius ad præſumptionem & temeritatem pertinet, vt quis hoc certò credat, aut certò ſibi perſuadeat. Ais: *Adulteri, auari, ebrioſi in medio illo impietatis ſtatu veram fidem ſecundum iſtos retinent.* Quid inde? *Ergo & iuſtificati retinent veram fidem.* Quis hoc negat? *Ergo ſciunt certò ſe vera fide præditos eſſe.* Hoc Prædicans tibi probandum incumbit; quia nos negamus; nam nec probi nec improbi; nec iuſti, nec iniuſti certò & liquidò cognitum habent, num habitum infuſæ fidei habeant; neque fides hanc notitiam requirit; vt ſupra dicebam.

Addis ad extremum querelam de Tridentini Concilii patribus, quaſi maxima iniuria vos affecerint, grandique mendacio onerarint: cum dixerunt, noſtra tempeſtate *magna contra Eccleſiam Catholicam cõtentione prædicari; vanam, & ab omni pietate remotam fiduciam*; nimirum, ſpecialem illam veſtram & iuſtificantem fidem. Dicis *vos à Bellarmino abſolui ab hac falſa criminatione conciliabuli; quamuis ab inſcio & aliud agente.* Sed audi Prædicans. Abſolutio quæ fit præter intẽtionem & voluntatem, ab inſcio nimirum, & quiduis aliud potius, quàm hoc agente, non valet; vereor itaque, vos à Cardinale Bellarmino minimè abſolutos eſſe, & quid dico vereor? imò certò ſcio, vos abſolutos non eſſe, quomodo enim vos à criminatione & mendacio Concilii Tridentini abſolueret, cum Concilium Tridentinum nulla criminatione vos appetierit; nulloq; mendacio ſe obſtrinxerit. Quid enim ab omni veræ & ſolidæ pietatis ſtudio remotius & alienius eſt, quàm arrogantiſſima illa fiducia veſtra, & præſumptuoſiſſima fides?

Concil. Trid, ſeſſ. 6. cap. 9.

Addis:

Addis: *ſolos illos vera fide præditos à vobis affirmari qui* DEVM *timent & pietatem colunt, & charitatem exercent, & ad omne opus bonum ſunt apparati.* Ita quidem vos iam, ſed olim longè aliter, vt notat etiam Bellarminus; cum minus adhuc aduerterent ſectarij, quantam abſurditatũ nubem ſola illa & vnica fides, quam plenis buccis deprædicabant, ſecũ traheret. Verùm quidquid ſit de inconſtantia doctrinæ veſtræ, nulla criminatione nulloque mendacio Concilium Tridentinum vobis iniuriam intulit. Non enim dixit, quid vos de illa veſtra fiducia profiteri ſoleatis, ſed quid reipſa ſit. Nam licet vos fiduciæ illi veſtræ pietatem, charitatem, bonorumque operum ſtudium, tanquam comites adiungatis: Hæc tamen omnia mera ſunt verba, improuidis circumueniendis appoſita: tam procul enim abeſt hæc veſtra fiducia à pietate, quam procul diſtat ortus ab occaſu, nox à tenebris, verum à falſo; quod ipſemet Bellarminus libenter fatebitur, imò in libris ſuis crebrò fatetur; non obſtante quod ſimul commemorat, quid nonnulli de grege veſtro de huius fiduciæ veſtræ comitatu tradãt; quis enim tam deploratè cæcus eſt & amens, qui impietatem ſuam pietatis velo tegere & cohoneſtare non ſtudeat? An ideo impietas in parte pietatis numerabitur, & ea quidem impietas, quæ pietatis fundamenta funditus euertit? quod de hac ſpeciali fiducia veſtra in ſpecie oſtendit Bellarminus.

Bellar. lib. 1. de iuſt. cap. 3.

Vide Bellar. lib. 1. de iuſtif. cap. 10.

Cæterum quo tu iure Concilium Tridentinum falsò citas, dum illud mendaciter & calumnioſè mendacij & calumniæ accuſas? Certè aliud ius non video; quam ius mentiendi & calumniandi neſcio quo priuilegio tibi conceſſum. Nam Concilium Tridentinum non dicit, prædicari ab hæreticis hanc VNAM fiduciam; vt tu comminiſceris; ſed vtitur his verbis; *Hæc vana fiducia*, nec dicit hæreticos eam à charitate ſeparare. Deinde licet concilium aſſereret, fidem iuſtificantem poſſe, ex hæreticorum ſententia, ſeparari à charitate & bonis operibus; verùm vtique aſſereret; quod vel ex colloquio Alteburgenſi compertum; in quo Prædicantes Saxonici in id vnum totis viribus incubuerunt, vt demõſtrarent charitatẽ & bona opera nullo modo eſſe neceſſaria ad hoc, vt quis ſit iuſtus; idque multis Lutheri teſtimoniis probant; & maiuſculis quoque litteris ſignant verba illa Lutheri ſuper cap. 2. Epiſt. ad Galatas: FIDES SINE ET

O ANTE

Digitized by Google

ANTE CHARITATEM IVSTIFICAT. Ex quibus perſpicuum relinquitur, vtrum Synodus Tridentina ſit in vos iniurioſa & contumelioſa; an tu in Synodum. Cernit veritatis amans lector, quàm variis & vanis mendaciis calũniiſque vbique ſeſe *implicet, cõfundat, & inguletiſte* Prædicans, quamque egregiè mentiri & calumniari norit, dum alios mendacij & calumniæ arguere inſtituit; vt meritò in *omnem æternitatẽ* omni fide indignus cenſeri poſſit ac debeat; Et hæc quidem de Labyrintho primo Cretico Hunniano dicta ſunto.

ERRATA:

Pag. 21. v. 24. eſt. 40. 20. niſi opem
32. v. 1. verò
67. v. 1. vltimam.
70. v. 11. nullam.
71. v. 13. non eſt gratia. Ibid. v. 33. enim
81. v. 9. obſtrinxit.
93. v. 36. fluctuans.
94. v. 9. ſcire.

FINIS.

399.746.

Digitized by Google